FRANCISCI FABRICII
MARCODVRANI

HISTORIA

M. TVLLII CICERONIS

PER CONSVLES DESCRIPTA
ET IN ANNOS LXIV. DISTINCTA

CVM ADNOTATIONIBVS
GRONOVII

ACCESSIT
CHRISTOPHORI CELLARII

HISTORIA

EXPLICANDIS EPISTOLIS
CICERONIS
ACCOMMODATA

NVNC PRIMVM EDITA.

VTRAMQ. RECENSVIT, INDICES
AC PRAEFATIONEM ADIECIT
IO. MICHAEL HEVSINGER.

BVDINGAE,
TYPIS ET SVMTIBVS IO. FRIDER. REGELEIN.
M DCC XXVII.

IO. MICHAELIS HEVSINGERI
PRAEFATIO
AD LECTOREM.

HIſtoriam Ciceronis, a FRANCISCO FABRICIO, MARCODVRANO, altero abhinc ſæculo conſcriptam, ac primum Coloniæ Agrippinæ cIↃ IↃ LXIII. inde vero pluribus diuerſisque editionibus diuulgatam, noua ac familiari iuuentutis vſui paullo

accommodatiore, vt ſpero, forma exhibeo, ab operibus Ciceronis, quibus vulgo præfigi ſolet, ſeorſum, et, quam fieri potuit elegantiſſime, typis exſcriptam. Operæ pretium me facturum putaui, ſi probatiſſimum omnibusque antiquitatis non minus, quam Tullianæ eloquentiæ cultoribus vnice neceſſarium libellum ita inſtructum emitterem, vt pluribus prodeſſet, nec ſumtu tamen cuiusquam tenuitatem grauaret: quem multis adhuc eam fortaſſe ob cauſam minus eſſe notum video, quod ſeparatim rarius, cum Cicerone vero iis in regionibus excuſus eſt, vnde exemplaria maiori impenſa paranda fuerunt. Nouas itaque acceſſiones quasdam huic editioni adieci, quas, diſcentium ſtudiis conſul-

ſulturus, inprimis neceſſarias, nec mole tamen ſua cuiquam graues fore credidi. Ex eo numero ſunt, quas per totum librum ad ſcriptas obſeruabis, veterum ſcriptorum Latinorum, qui teſtes citantur, inciſiones minores: quarum rationem Fabricius, ſi cultiore noſtroque ſæculo vixiſſet, ipſe haud dubie fuiſſet habiturus, cum in adducendis libris, iam tum illa ætate doctorum conſenſu in minutas partes diuiſis, raro prætermiſerit. Quod inſtitutum in Græcis quoque ſeruaſſem, ſi illos codices aut in eundem modum interſectos haberemus, aut faſtidioſi harum litterarum adoleſcentes ſibi adeundos excutiendosque putarent. Indices rerum, librorum Ciceronis,

et ſcriptorum , qui a Fabricio caſtigantur aut illuſtrantur, ſatis copioſos confeci : quod eos ſine inſigni opuſculi deformitate, magnoque occupati ac feſtinantis lectoris incommodo, abeſſe non poſſe exiſtimaui. Iuuentuti certe, cum in conſtituendo orationum & epiſtolarum Ciceronis ordine, tum in cognoſcenda hiſtoria rerum, quæ illis tractantur , non minimo adiumento fore ſcio. In ipſa hiſtoria recenſenda ſecutus quidem ſum editionem Amſtelodamenſem operum Ciceronis anni cIↄ Iↄ ccxxiv. quam V. C. Iſaaco Verburgio debemus: ſed ita eam ſecutus ſum, vt plurima menda, quibus deformatam deprehendi, aliarum contentione ſuſtulerim. Non in ſin-

ſingularibus enim vocibus ac numeris * offendit atque aberrat; quod, quia noſtræ quoque, vt omnibus, accidit, æquum eſt ignoſcere: ſed integra ſæpe membra, a reliquo orationis corpore abſciſa, exterit **; vt plane Belgicam in exſcribendis huius generis monumentis curam et religionem,

* Veluti in numeris annorum p. 15. 114. 122. ſæpiſſime autem in numero II. quem Romanis notis expreſſum cum numero XI. confundit. Vid. p. 43. v. 4. ab imo p. 58. v. 30. p. 99. v. 22. p. 104. v. 15. et 12. ab imo p. 105. aliquoties, p. 106. et alibi.

** Ita integri verſus exturbati ſunt p. 3. med. p. 38. v. 9. ab extr. p. 42. med. p. 98. extrem. p. 122. v. 7.

toto orbe celebratam, hic desideres. Quod publice a me indicari debuit, ne aliis imponant, latiusque vulgentur, quæ in illis exemplaribus corrupta sunt. Sed ne de mea fide dubitent, qui mutationem a me factam in locis nonnullis (qui oppido pauci sunt) deprehendent: eius rei rationem breuiter reddendam duco. Numeros, quos ante me perperam expressos reperi, nimio plus superstitiosum fuisset retinere. Cum itaque pag. 21. prima legeretur *lib. III. de Officiis*; reposui *lib. II.* pag. 57. v. 18. lego *lib. I. de Finib.* pro vulgato *lib. II.* pag. 68. *Velleius lib. I. c. 12.* pro *lib. II.* pag. 70. v. 14.

Quin-

Quintil. lib. VI. c. 6. pro *cap. 5.* pag. 75. v. 11. *Tacit. hist. lib. III.* pro *lib. XIX.* * pag. 108. v. 22. *ep. 13. lib. I. ad Att.* pro *ep. 1.* p. 109. v. 7. seq. *Liu. lib. CIII.* pro *XIII.* pag. 115. v. 8. ab extr. *lib. II. ad Attic.* pro *lib. I.* pag. 186. v. 9. *lib. XII. ep. 15. ad Attic.* pro *lib. XII. et XIII.* (vel *XV.* vt alii) cum libro XIII. nulla *consolationis* mentio fiat: pag. 190. v. 11. *Macrob. lib. II. c. 3.* pro *lib. III.* Quae omnia ita, vti a me factum,

* Quanquam hoc a Fabricii manu erat, qui libros Historiarum ab Annalibus cum aliis non distinxit: in tironum tamen gratiam mutari nefas non erat. Vid. Fabric. Bibl. Lat. lib. II. c. 21. p. 468.

refingenda fuiſſe, neminem, qui fontes inſpexerit, negaturum arbitror. Nec minus illud probatum iri ſpero, quod pag. 149. v. 10. vocem *Caſſius*, quæ aliena erat, in *Craſſus* transformauerim; et pag. 195. v. 22. vbi editum erat, *Vbi eſt millies ſeſtertium?* vocem *ſepties*, quæ exciderat, ex Cicerone repoſuerim. Hæc ſuis quæque locis referri, Fabriciique verbis ſubiici potuiſſent, niſi GRONOVIANI nominis verecundia obſtitiſſet, tantique viri adnotatiunculis, quæ calces paginarum ſibi vindicant, meas admiſcere prohibuiſſet.

Pauca superſunt, quæ de CELLARII opuſculo, quod primus iam, et ob argumenti quidem ſimilitudinem coniunctim in lucem produco, præfanda habeo. Poſthumum celeberrimi viri fetum nec cum limatioribus eius ſcriptionibus conferendum eſſe, haud ægre concedo: eundem tamen iuuentuti vtiliſſimum, dignumque qui ab interitu adſeratur; non temere exiſtimare mihi videor. Hiſtoriam epiſtolarum Ciceronis *ad diuerſos* ea, qua cum iuuentute agendum eſt, breuitate; nec minus conuenienti, hoc eſt Tironiano, proponit ordine, quem ob ſuam ma-

maxime antiquitatem in ſcholis retinendum cenſent doctiores. Quam in certa in hoc libro temporum ratio, et quam breuis obſcurusque data ſæpe opera ſit Cicero, res ipſa ſatis indicat. Cum vero in his tenebris certa via inſiſtere, locisque minus claris illorum temporum hiſtoriam applicare, multi laboris confirmatique iudicii res ſit: opportunam ſane gratamque diſcendi cupidis operam his ſchedis præſtitit vir de inſtituenda iuuentute immortaliter meritus, quibus, quantum in tanta breuitate fieri poteſt, longæ inquiſitionis examinationisque moleſtia eos leuauit.

Qui

Qui ſi hunc eius libellum cum politiſſimis, quos idem in epiſtolas Ciceronis ſcripſit, commentariis coniungent; et, ſi ne inde quidem ſatis lucis affulſerit, Fabricianam quoque hiſtoriam, duce indice, adibunt: ſi reliquis non omnibus, certe illis interpretamentis haud ægre carebunt, quæ malus ſæculi noſtri genius, inuitis muſis, *non ex interioris philologiæ et antiquitatum monumentis deriuata* *, ſed ex putido

* Hæc ipſius editoris epiſtolarum Ciceronianarum, *ad modum Minellii* grammaticis adnotationibus illuſtratarum, ingenua confeſſio eſt: cum quo ſentio, idemque de cete-

do barbariei cœno hauſta, Germaniæ inuexit. Iis autem, quorum ætas antiquis rebus cognoſcendis, iisque temporum ac locorum notis diſcernendis, inter ſe contexendis, ac conferendis, nondum matura eſt, non parum præſtabit, lectionem epiſtolarum Ciceronis in aliud tempus differre; quam a ſelectis illis, quæ ad Terentiam et Tironem fere ſcriptæ ſunt, ſtatim poſt prima Latinæ linguæ rudimenta auſpicari. Quod enim in his voluendis, magno cum animi faſtidio, exiguoque plerumque laboris fructu, tempus conſumi-

ris eius notæ plerisque editionibus iudico.

ſumitur, rectius Phædri fabulis ceterisque ſcriptoribus interpretandis impenditur, qui puerorum ingeniis alendis ſunt accommodatiores. Nec enim *optimos* tantum; ſed et *eorum candidiſſimum quemque et maxime expoſitum*, Fabio * iudice, decet eligere. Sed hæc latius perſequi huius loci non eſt: quo mihi ſufficit, noui libelli vſum dotesque verbo indicaſſe, et ad legendum ſtudioſos inuitaſſe. Hi ſi aliquem ex qualicunque opera mea percipient fructum, bene eam collocatam arbitrabor, nec vlla liuoris obtrectatione ab hoc bene de iuuentute me-

* Inſtitut. orat. lib. II. cap. 5.

merendi propoſito dimouebor. Quod ſi vel mea imprudentia, vel operarum, quibus adeſſe non licuit, feſtinatione aliquid erratum obſeruaueris; id vt pro tua humanitate benignius interpreteris, etiam atque etiam rogo. Vale. D. Laubaci XIII. cal. April. cIↃ IↃ CCXXVII.

M. TVL-

M. TVLLII CICERONIS

HISTORIA,

PER

CONSVLES DESCRIPTA,

ET IN

ANNOS LXIV. DISTINCTA,

PER

FRANC. FABRICIVM, MARCODVRANVM.

M. TVLLIVS. M. F. M. N. COR. CICERO.

HOc modo Orator noster, cuius historiam descripturi sumus, Romanorum more nominatur, atque hæc singula rimum explicabimus. M. id est MARCVS, rænomen eius est, quod à patre maximus nau filius de more habuit. TVLLIVS proprium t gentile eiusdem nomen est: fuit enim è Tullia * gente antiquissima, libro II. cap. I. de

 legi-

* Cuius hæc familia Ciceronum fuit plebeia; quod ipse subindicat in Bruto cap. 16. loquens de humilioribus hominibus, in alienum eiusdem nominis infusis genus; *Vt si ego me a M. Tullio esse dicerem, qui patricius cum Seruio Sulpicio cos. anno X. post exactos reges fuit.*

legibus. Patrem Ciceronis ex regio Volſcorum genere fuiſſe, in Euſebii Chronicis legimus. Et Plutarchus ſcribit, nonnullos eius genus referre ad Tullum Attium, nobilem Volſcorum regem. Hinc Silius Italicus libro VIII. v. 406. ſeqq.

Tullius æratas raptabat in agmina turmas,
Regia progenies, et Tullo ſanguis ab alto:
Indole proh quanta iuuenis, quantumque daturus
Auſoniæ populis ventura in ſæcula ciuem!
Ille ſuper Gangem, ſuper exauditus et Indos
Implebit terras voce; et furialia bella
Fulmine compeſcet linguæ, nec deinde relinquet
Par decus eloquii cuiquam ſperare nepotum.

M. F. Marci filius, habuit enim Cicero noſter patrem M. Tullium, qui cum eſſet infirma valetudine, in Arpinati villa fere ætatem egit in litteris, libr. II. cap. I. de legibus. Eum fulloniam feciſſe, ac vites oleasque ſemper coluiſſe, Q. Calenus in maledica oratione apud Dionem lib. XLVI. ait. Patrem hunc Cicero in petitione conſulatus, annos iam natus XLIII. amiſit, ut Aſconius ſcribit. vide epiſt. 5. lib. I. Att.

M. N. Marci nepos. nam et auus eius M. Tullius Cicero † nominatus fuit, eoque viuo ſe natum ait, libr. II. cap. I. de legibus. De eo-

† Qui præter Marcum filium habuit et alium: vnde natus Lucius, quem fratrem ſuum ſcil. patruelem vocat noſter lib. I. ad Attic. epiſt. 5.

)dem lib. III. cap. 16. ita scribit: *Et auus qui-*
m noster singulari virtute in hoc municipio,
uoad vixit, restitit M. Gratidio, cuius in
atrimonio sororem, auiam nostram, habe-
it, ferenti legem tabellariam. Is quoque
;, de quo Cæsar libr. II. cap. 66. de Oratore:
. Cicero, inquit, *senex, huius viri optimi,*
stri familiaris, pater, nostros homines si-
iles esse Syrorum venalium dicebat; ut quis-
e optime Græce sciret, ita esse nequissimum.
R. Cornelia nomen est tribus, ablativi ca-
;, ut sit, ex Cornelia. ex tribubus autem
XV. aliquam necesse erat, cuiuscunque or-
is esset, civis Romanus obtineret. atque
ribu, in qua censebantur, cives etiam signi-
abantur: Asconius in Verrinam secundam
). 8. Cicero autem cum reliquis Arpinati-
s in tribu Cornelia censebatur. Liuius lib.
XVIII. cap. 36.

CICERO. Cicerones a cicere appellatos
sse satis constat: itaque dictum esse illum,
i primus hoc nomen inuenit, a nasi figura,
tor est Plutarchus. Apud Priscianum
oque Grammaticum libro II. legitur, eum
, primus hoc nomen habuit, ab habitu faciei
ninatum esse. Plinius vero lib. XVIII.
. 3. ait, Fabiorum, Lentulorum, Cicero-
n cognomina prima inde esse, ut quisque
uod optime genus sereret.

Anno post Romam condit am DCXLVII. *ante Christum natum* CIII. *Consules fuerunt,*

Q. SERVILIVS CAEPIO, C. ATILIVS SERRANVS.

HIs Consulibus ante diem III. Nonas Ianuarii M. Cicero natus est, Gellius libr. XV. cap. 28. His quoque Consulibus, quibus L. Crassus legem Seruiliam suaserit, se natum esse, ipse Cicero in Bruto cap. 43. scribit. Idem III. Non Januar. natalem suam vocat, epist. 5. libr. VII. et epist. 41. libr. XIII. ad Atticum. Verba Plutarchi sine causa in dubium vocantur: qui de Ciceronis natali ita scribit: τεχθῆναι δὲ Κικέρωνα λέγουσιν ἡμέρᾳ τρίτῃ τῶν νεῶν καλανδῶν, id est, *editum in lucem Ciceronem ferunt tertio die Calendarum nouarum,* siue, post diem tertium cal. Ianuarii. quo genere loquendi non quartus, sed tertius dies Ianuarii significatur, ut sit, tertio die post calendas, connumeratis ipsis calendis. Sic Liuius libr. XXX. cap. 28. ait, Hannibalem post sextum decimum annum ex Italia decessisse: qui venit in Italiam anno, vt Liuius numerat, ab V. C. DXXXII. decessit anno DXLVII. Recte igitur Paullus Iurifcon. in L. *Anniculus.* D. *de verb. signif.* *Ante diem decimum Calendarum, post diem decimum Calendarum,* *neutro,* inquit, *sermone undecim dies significantur.* Sic enim legendum ex Pandectis Florentinis, non, *vtroque sermone:* Vt perperam Alciatus, Budæus, Valla et Corradus legerunt. Apud Plu-

'lutarchum omnem dubitationem tollit id uod sequitur: ἐν ᾗ νῦν οἱ ἄρχοντες εὔχονται, καὶ ύουσιν ὑπὲρ τοῦ ἡγεμόνος, id est, *quo die nunc agistratus pro Principe faciunt, et vota nunupant.* De quo die Caius in L. *Si caluitur.*). *de verb. signif. Post Calendas Ianuarias ie tertio pro salute Principis vota suscipiunur.* ubi tertium diem Ianuarii intelligendum sse hæc verba Capitolini in Pertinace cap. 6. stendunt: *Denique ante tertium Nonarum iem, Votis ipsis, milites Maternum Lasciium, senatorem nobilem, ducere in Castra oluerunt.* *Votis ipsis*, id est, ipso votorum ie, quomodo *ludis*, *gladiatoribus*, et similia, Latinis dicuntur. De iisdem votis Spartiaus in Hadriano: cap. 23. *Ingravescente vatudine per somnium periit ipsis Cal. Ianuais. Quare ab Hadriano votorum causa est geri vetitus.* et Vopiscus in Tacito cap. 9. *ivorum templum fieri iussit, in quo essent staæ principum bonorum, ita, ut iisdem Nataus suis, Parilibus, Calendis Ianuariis, et tis libamina ponerentur.*

Mater Ciceronis, quæ ipsum, ut Plutarchus ibit, sine vllo dolore peperit, fuit Helvia, ab Eusebio et Paullo Diacono in supplemen- Eutropianis recte nominatur: nam apud utarchum Ὀλβίαν mendose est pro Ἑλβίαν, od nomen in eiusdem Quæstionibus Romas emendate legitur. quo de in Annotationis in Orosii libr. v. cap. 15. Habuit mater ceronis sororem, quæ C. Aculeoni equiti nupsit: quem L. Crassus dilexit ex omni-

bus plurimum, vt est libro II. cap. 65. de Oratore, vbi Aculeonem Crassus apud M. Perpernam iudicem contra Gratidianum defendisse dicitur. de eodem ipse Crassus libr. I. cap. 43. *Nonne*, inquit, *videtis equidem R. hominem acutissimo omnium ingenio, sed minime ceteris artibus eruditum, C. Aculeonem, qui mecum vivit, semperque vixit, ita tenere ius ciuile, vti, cum ab hoc discesseris, nemo de iis, qui peritissimi sunt, anteponatur?* Huius igitur Aculeonis filii Ciceronis consobrini fuerunt, quibuscum se in pueritia bonis disciplinis operam dedisse, ipse testatur initio libr. II. de Orat. Ex his fuit C. Visellius Varro, vir doctus in primis: qui iuris civilis a patre Aculeone traditam tenuit disciplinam, in Bruto. cap. 76. De eodem in Orat. De provinciis coss. cap. 17. Antequam ad sequentem annum transeo, admonebo adolescentes studiosos, his consulibus natum esse Cn. Pompeium pridie cal. Octobris, quod Velleius lib. II. cap. 53. et Plinius lib. XXXVII. cap. 2. diserte scribunt: cuius rei obseruatione facillime diiudicari potest, quot annos natus Pompeius res singulas gesserit, honoresue consecutus sit. id quod tam varie ab auctoribus scriptum est, vt maior discrepantia vix inveniatur.

Anno vrbis DCXLIIX. *Ciceronis* II. coss. *fuerunt*,

P. RVTILIVS RVFVS, CN. MALLIVS.

HIc est P. Rutilius Stoicus, homo doctissimus, et Panætii auditor, de quo Cicero in

in Bruto. cap. 30. lib. III. cap. 2. de Officiis, et nos inferius. Alterum Consulem Cn. Mallium voco, quoniam sic quoque appellatur in antiquo marmore Neapoli: vnde Georgius Fabricius legem ædificantium descripsit, de quo Cic. pro Plancio. cap. 5. *populus R. Q. Catulo, in summa familia nato, sapientissimo & sanctissimo viro, præposuit Cn. Mallium, non solum ignobilem, verum sine virtute, sine ingenio, vita etiam contemta.* Idem scribit pro Murena. cap. 17. Sed apud historicos, qui hunc consulem victum a Cimbris scribunt, magna varietas in nomine & prænomine inueritur, de qua Sigonius in Fastis. Hoc anno Q. Seruilio Cæpioni proconsuli imperium rogatione C. Norbani Tribuni pl. abrogatum est: qua de causa seditio in vrbe excitata fuit, de qua Cicero lib. II. cap. 47. de Orat. vnde L. Cottam & T. Didium Norbani collegas fuisse, cognoscimus. Sed Cæpio damnatus est, eiusque bona publicata sunt. Liuius libr. LXVII. & Asconius in Cornelianam: vbi mendose impressum est, *Tulerat autem eam maxime, propter simultates cum Q. Cæcilio.* est enim legendum, *cum Q. Seruilio,* vel *cum Q. Cæpione.*

Anno vrbis DCXLIX. *Ciceronis* III. COSS. *fuerunt*,

C. MARIVS II, C. FLAVIVS FIMBRIA.

C. Marius iterum Consul Calendis Ianuarii de Iugurtha triumphauit. Plutar. in Mario, Sallustius in Iugurthino extrem. C. Fimbriam

briam Cicero pro Plancio cap. 21. inter eos numerat, qui, cum Tribuni pleb. esse non potuissent, Consules facti sunt. De eius eloquentia idem in Bruto. cap. 66. His consulibus C. Cassius L. F. Longinus, Tribunus pleb. plures leges ad minuendam nobilitatis potentiam tulit, in quibus hanc etiam, ut quem populus damnasset, cuiue imperium abrogasset, in Senatu ne esset. Asconius in Cornelianam. Hoc anno C. Lucius Tribunus milit. Marii sorore natus, pudicitiam cum eriperet Treborio, siue C. Plotio militi, interfectus ab eo est, cui vim afferebat. quem cum Marius scelere solutum periculo liberasset ac coronasset, non parum adiumenti ea res illi ad tertium Consulatum attulit. auctor Plutarchus in Mario, et Apophthegmatis. Cicero pro Milone, cap. 4. Valerius lib. VI. cap. 1. Quintilianus lib. III. cap. ult.

Anno vrbis DCL. *Ciceronis* IV. COSS. *fuerunt*,

C. MARIVS III. L. AVRELIVS ORESTES.

MArius hunc Consulatum in apparatu belli Cimbrici (quod Cicero de provinciis coss. cap. 8. Gallicum vocat, et Mario extra ordinem decretum fuisse ait) consumsit, ut scribit Velleius lib. II. cap. 12. vbi addit, his coss. Cn. Domitium Tribunum pleb. legem tulisse, ut sacerdotes, quos antea collegæ sufficiebant, populus crearet. cuius meminit Suetonius

tonius in Nerone, cap. 2. et Cicero Agraria secunda cap. 7. his verbis: *de sacerdotiis Cn. Domitius Tribunus plebis, vir clarissimus, tulit, quod populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, vt minor pars populi vocaretur: ab ea parte qui esset factus, is a collegio cooptaretur.* de eadem lege Domitia idem in Corneliana apud Asconium: ubi illud quoque legimus, Domitium, tribunum, M. Silanum consularem hominem vexavisse. Orestes in magistratu mortuus fuit. Itaque Marius e Gallia Romam profectus comitia consularia habuit, quibus ipse consul quartum creatus est. Plutarchus in Mario.

Anno vrbis DCLI. *Ciceronis* V. COSS. *fuerunt*,

C. MARIVS IV. Q. LVTATIVS CATVLVS.

HOc anno Marius Teutonos et Ambronas ad Aquas Sextias prope Massiliam delevit; Strabo lib. IV. Orosius libr. V. cap. 16. vt alios mittam, de quibus in Orosium scripsi. Q. Catulus pater est: de cuius dicendi genere multa Cicero in Bruto. cap. 35. Interfectus est a Marianis anno DCLXVI. Eodem anno M. Antonius Orator, qui triennio post, suo nimirum anno, consul fuit, prætor maritimos prædones in Ciliciam persecutus fuit, vt est in epitoma Liuiana libro LXVIII. Atque hanc rem ipse Antonius intelligens, libr. 1. de Oratore cap. 18. *Cum proconsule*, inquit, *in Ciliciam proficiscens Athenas venissem, complures tum*

ibi dies sum propter nauigandi difficultatem commoratus. Corradus, non animadvertens, proconsulem dici etiam, qui ante consulatum cum imperio consulari in provinciam mittitur, scripsit, M. Antonium post consulatum in Ciliciam profectum. Tu lege commentarium nostrum in Ligarianam. Atque hic est Antonius ille triumphalis vir, cuius filiam a prædonibus captam fuisse, Plutarchus in Pompeio tradit. vnde Cicero pro lege Manilia: cap. 12. *An ignoratis, ex Miseno eius ipsius liberos, qui cum prædonibus antea ibi bellum gesserat, a prædonibus esse sublatos?* in cuius loci interpretatione doctissimus Hotomanus perperam hunc Antonium cum eius filio, qui curator oræ maritimæ fuit, vt infra demonstrabimus, confundit. His consulibus Archiam poëtam Romam venisse, Cicero in oratione pro eo habita scribit: et addit, illum sibi a prima pueritia principem ad suscipiendam, et ad ingrediendam rationem suorum studiorum exstitisse. Vsus enim fuit Cicero puer Græcis doctoribus, quod ipse in epist. ad M. Titinnium, referente Suetonio de claris Rhetoribus cap. 2. ita scripsit: *Equidem memoria teneo, pueris nobis primum Latine docere cœpisse L. Plotium quendam; ad quem cum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur; dolebam mihi idem non licere. Continebar autem doctissimorum hominum auctoritate, qui existimabant Græcis exercitationibus ali melius ingenia posse.*

Anno

Anno urbis DCLII. *Ciceronis* VI. COSS. *fuerunt*,

C. MARIVS V. M'. AQVILLIVS.

MArii in quinto Consulatu collega fuit Manius Aquillius. Hinc Antonius apud Ciceronem libro 2. de Oratore cap. 47. ait, se in Aquillii causa, Marium crebro appellando, collegam ei suum commendasse. Aquillium Marii in quinto consulatu collegam adversus fugitivos in Siciliam missum, bellumque servile, Athenione duce interfecto, confecisse, Diodorus Siculus libro XXXVI. scripsit: in cuius excerpta historia, ab Henrico Stephano Latine edita, hic Consul C. Acilius per mendum vocatur, apud Ciceronem quoque Agraria II. cap. 30. male scriptum est, *Siciliæ ciuitatibus bello fugitiuorum M. Atilius etiam mutuum frumentum dedit*, ubi *M'. Aquillius* scribendum. ut initio Verrinæ septimæ, *Nos post id bellum, quod M'. Aquillius confecit, sic accepimus, nullum in Sicilia bellum fugitiuorum fuisse*. Aquillius deinde causam de pecuniis repetundis dixit: eumque M. Antonius acriter defendit, vt Liuius libro LXX. Cicero lib. II. cap. 47. de Oratore, et Verrina septima cap. I. testantur. Idem pro Flacco: cap. 39. *M'. Aquillium patres nostri, multis auaritiæ criminibus testimoniisque conuictum, quia cum fugitiuis fortiter bellum gesserat, iudicio liberauerunt*. Eodem pertinet illud pro Fonteio: cap. 13. *Quam multa M'. Aquillius audiuit in suo iudicio?* Accusavit Aquillium L. Fusius, ut

vt Cicero in Bruto cap. 62. scribit. itaque recte nunc libro II. cap. 14. de Officiis legitur: *in accusando etiam M'. Aquillio L. Fusii cognita industria est.* Vbi prius *Manlio*, corrupte scriptum erat. C. Marius coss. v. et Q. Lutatius procos. Cimbros in Venetia ad Athesim, Veronæ fluuium, vicerunt: de qua victoria Orosius noster lib. v. c. 16. Sic Marius influentes in Italiam Gallorum maximas copias repressit: vt ait Cicero de prouinciis coss. cap. 13. atque Italiam obsidione liberauit. Idem post redit. ad Quirites. cap. 8. Meminit pro Rabirio, cap. 10. et in Catilin. IV. cap. 10. Q. Catulus de manubiis Cimbricis porticum in palatio in area M. Fuluii Flacci fecit, Cicero pro domo. cap. 38.

Anno vrbis DCLIII. *Ciceronis* VII. coss. *fuerunt*,

C. MARIVS VI. L. VALERIVS FLACCVS.

HOrum consulum frequens est mentio apud Ciceronem pro Rabirio, cap. 7. in Bruto, cap. 62. in Catilinam, I. cap. 2. et in Antonium. orat. VIII. cap. 5. Quibus L. Appuleius Saturninus seditionem movit. Is enim, cum anno superiore tribunatus competitorem, A. Nonium (de quo nomine vide annotationes nostras in cap. 17. lib. v. Orosii) adiuuante C. Mario occidisset, eaque ratione tribunus pleb. iterum factus, legem Agrariam per vim tulisset; in quam a singulis senatoribus iurari voluit: Q. Metello Numidico, qui unus in eam iura-

ırare noluit, diem dixit. Metellus autem, ui patriæ ſalus dulcior, quam conſpectus erat, e ciuitate maluit, quam de ſententia dimoeri: et C. Mario ſextum conſuli, et eius inictis legionibus, ne armis confligeret, cedenum eſſe duxit. Cicero pro Balbo, cap. 5. pro extio, cap. 16. et in Piſonem cap. 9. Sed um idem Saturnius C. Memmium candidaum conſulatus interfeciſſet, operamque daet, vt C. Seruilius Glaucia, prætor, conſul ieret: S. C. factum eſt, vt conſules viderent, ıe quid reſpublica detrimenti caperet. Itaque Saturninus et Glaucia ſtatim ſunt interecti. Cicero pro Rabirio, cap. 7. in Catilin. 1. cap. 2. Philip. VIII. cap. 5. et in Bruto cap. 62. Saturnini caput Rabirium quendam Senatorem per conuiuia circumtuliſſe, auctor de viris illuſtribus ſcribit. Quare poſtea Cicerone conſule C. Rabirius accuſatus fuit a T. Labieno, cuius patruus Q. Labienus cum Saturnino occiſus fuerat. Cicero pro Rabirio, Oroſius lib. V. cap. 17. A Saturnino latæ ſunt leges Appuleiæ: in quibus fuit illa, qua Saturninus C. Mario tulit, ut in ſingulas colonias ternos ciueis Romanos facere poſſet, de qua Cicero pro Balbo cap. 21.

Anno vrbis DCLIV. *Ciceronis* VIII. coss. *fuerunt*,

M. ANTONIVS, A. POSTVMIVS ALBINVS.

DE his Cicero in Orat. poſt reditum ad Quirites cap. 5. *Nunquam de Q. Metello*

C. Ma-

C. Marius, qui erat inimicus; sed ne is quidem, qui secutus est, M. Antonius, homo eloquentissimus, cum A. Albino collega Senatum aut populum est cohortatus. Hoc tamen anno Metellus unius tribuni pl. rogatione ab exsilio reuocatus est. epist. 9. libr. I. Famil. Tribunus fuit Q. Calidius, auctore Valerio lib. v. cap. 2. Calidii lege Q. Metellum in ciuitatem restitutum fuisse, Cicero quoque pro Plancio cap. 28. ait. Eodem anno Tribunus pl. fuit Sext. Titius, homo seditiosus et turbulentus: cui Antonius Consul restitit, vt ipse narrat lib. II. cap. 11. de Oratore; ubi de testimonio suo in Titium reum agit. fuit enim hic Titius accusatus et condemnatus, quod L. Saturnini imaginem domi suae habuisset, vt scribit Cicero pro C. Rabirio, cap. 9. et Valerius lib. VIII. cap. I. qui ait, eum lege Agraria gratiosum fuisse. est ergo is, de quo Obsequens in Antonii et Albini Consulatu haec scribit: *Sex. Titius* (*Sextius* in Obsequente mendose legitur) *tribunus pleb. de agris diuidendis populo, cum repugnantibus collegis, pertinaciter legem ferret, corui duo numero, in alto volantes, ita pugnauerunt supra concionem, vt rostris vnguibusque lacerarentur. Haruspices sacra Apollinis litanda, et de lege, quae ferebatur, supersedendum pronuntiarunt.* Vnde emendandus est locus Ciceronis lib. II. cap. 12. de legibus, corruptus adhuc in omnibus libris, etiam Manutianis postremis. Sic enim legitur: *quid religiosius, quam cum populo, cum plebe agendi ius aut dare, aut non dare? quid, leges*

eges non iure rogatas tollere, aut etiam decre-ocollegii, vt Liuias consilio Philippi consulis t auguris? in codice manuscripto pro *vt tiam,* legitur, *vt tetiam:* tu, *vt Titiam,* re-one. nam in eodem libro, *Leuias* pro *Liuias* :riptum est. His consulibus C. Claudium 'ulchrum eum, qui septimo anno post consul uit, ædilem curulem fuisse, ex Plinii lib. VIII. ap. 7. cognoscimus. Eum magnificentissima dilitate functum esse, Cicero lib. II. cap. 16. e offic. ait. De eodem in Verrem VI. cap. 3. *: Claudius, cuius ædilitatem magnificentis-mam scimus fuisse, vsus est hoc Cupidine tam iu, dum forum Diis immortalibus populoque omano habuit ornatum.*

Anno vrbis DCLV. *Ciceronis* IX. COSS. *fuerunt*,

Q. CAECILIVS METELLVS NEPOS, T. DIDIUS.

AB his Consulibus lata est lex Cæcilia Didia, ab utriusque nomine dicta. cuius memi-t Cicero pro domo, cap. 16. et 20. Philip. v. ip. 3. epist. 9. libr. II. Attic. vbi vulgo *Cæliam idiam,* sicut pro Sextio cap. 64. *Aciliam Di-iam* mendose legitur. Huius legis duo ca-ta fuerunt: vnum, ne diversis de rebus lex rretur: alterum, vt leges trinundino pro-ulgarentur. auctor Cicero locis iam citatis. anutius in libro de legibus p.m. 199. duas ges Cæcilias Didias fuisse affirmat, quem le-:. Hoc ex Asconio addendum, Huius Me-lli consulis filium fuisse Metellum Nepotem

eum,

eum, qui cum Cicerone inimicitias gessit: quem Herbestus nescio quis, errore non ferendo, eundem cum patre facit.

Anno vrbis DCLVI. *Ciceronis* X. COSS. *fuerunt*,

C. * CORNELIVS LENTVLVS, P. LICINIVS CRASSVS.

P. Crassus, pater est M. Crassi; de cuius censura ad annum DCLXIV. de interitu ad ann. DCLXVI. infra dicemus. Eius fuit domus Ciceronis, vt est in Sallustii inuectiua c. 2. Eodem anno Censores in Tabulis Capitolinis inueniuntur, L. Valerius Flaccus, et M. Antonius, de quibus Valerius Max. lib. II. cap. 4. Cicero initio libri tertii de Oratore scribit, Antonium Censorem imperatoriis manubiis rostra ornasse.

Anno vrbis DCLVII. *Ciceronis* XI. COSS. *fuerunt*,

CN. DOMITIVS AHENOBARBVS, C. CASSIVS LONGINVS.

DE hoc Domitio Cicero pro Domo, *Cn. Domitium*, inquit, *nos pueri Consulem, Censorem, Pontificem Max. vidimus.* De eius Tribunatu dixi ad annum DCL. Censor fuit anno DCLXI. post Tribunatum pontifex maximus populi suffragio creatus fuit, vt est in epitoma Liuiana lib. LXVII. De eodem Cicero in Bruto cap. 45. *Hoc*, inquit, *loco ipsum Domitium*

* Miror, cur non CN. vocet, vt omnes.

im non relinquo. nam etsi non fuit in orato-m numero; tamen pono satis in eo fuisse ora-mis atque ingenii, quo et magistratus per-iam, et consularem dignitatem tueretur. s Consulibus Ptolemeum regem Cyrena-m, cui cognomen Apioni fuit, mortuum tamento heredem populum Romanum reli-uisse, Obsequens et Cassiodorus scribunt: icero contra Rullum II. cap. 19. *Adscribit em auctioni Corinthios agros opimos et ferti-, et Cyrenenses, qui Apionis fuerunt.*

Anno vrbis DCLVIII. *Ciceronis* XII. COSS. *fue-runt*,

LICINIVS CRASSVS, Q. MVCIVS SCAEVOLA.

DE his Cic. Verr. IV. cap. 49. *Halesini pro multis et magnis suis, maiorumque suo-m in rempublicam nostram meritis atque neficiis, suo iure nuper L. Licinio, Q. Mucio ss. cum haberent inter se controuersias de natu cooptando, leges ab senatu nostro peti-runt.* Idem lib. III. cap. 11. de Officiis: *se pro ciue qui non sit ciuis, rectum est non ere, quam tulerunt legem sapientissimi Con-les Crassus et Scæuola.* Hanc legem Liciniam Muciam vocat in Bruto, cap. 16. qua acer-mam de ciuitate quæstionem venisse, ait o Balbo cap. 21. de eadem pro Cornelio ma-statis reo: *Legem Liciniam et Muciam de uibus regundis duo Consules omnium, quos*

 vidi-

vidimus, sapientissimi tulerunt. in quem locum Asconius plura scribit. Crasso Gallia prouincia obuenit, in eaque rem gessit: de qua Cicero lib. II. cap. 37. de Inuentione, et in Pisonem. cap. 26. Q. Mucius in Asia legatum habuit P. Rutilium Rufum, qui Consul fuerat anno DCXLVIII. et quia publicanis nihil agere in Asia permiserat, eorum conspiratione in iudicium vocatus ab equitibus, qui tum iudicabant, damnatus est, vt scripsi in cap. 17. lib. V. Orosii. Meminit eius Cicero passim, lib. I. cap. 53. de Oratore, in Bruto, cap. 29. pro Fonteio, cap. 13. in Pisonem, cap. 39. lib. III. cap. 32. de Natura Deor. et alibi. His Consulibus Prætor fuit, suo anno C. Claudius, Ap. F. Pulcher, vt est in Verrina IV. cap. 49.

Anno vrbis DCLIX. *Ciceronis* XIII. COSS. *fuerunt*,

C. COELIVS CALDVS, L. DOMITIVS AHENOBARBVS.

COELIUM hunc inter nouos homines numerat Cicero pro Murena. cap. 8. Eundem non mediocribus inimicitiis ac laboribus contendisse, vt ad summos honores perueniret, ait in Ver. VII. cap. 70. De eodem Crassus libr. I. cap. 25. de Orat. *Quis non videat, C. Cælio, æquali meo, magno honori fuisse, homini nouo, illam ipsam, quamcunque habuit, in dicendo mediocritatem?* Hac de causa meminit eius in Bruto. cap. 45. Eundem clarissimum ac fortissimum adolescentem Quæstorem non esse factum, ait pro Plancio. cap. 21. ubi male,

ale, *Q. Cœlius* legitur L. Domitius prætor
ciliam obtinuerat, atque seueritatis exem-
um in pastorem, qui aprum venabulo per-
sserat, ediderat. quod ex Ciceronis Verr. VII.
p. 3. Valerius in cap. 3. libr. VI. transtulit.

nno vrbis DCLX. *Ciceronis* XIV. COSS. *fuerunt*,

. VALERIVS FLACCVS, M. HERENNIVS.

M. Herennius is est, qui in consulatus petitione L. Philippum superauit. de quo icero in Bruto: cap. 45. *Eodem tempore M. erennius in mediocribus oratoribus, Latinè diligenter loquentibus, numeratus est: qui men summa nobilitate hominem, cognatio-, sodalitate, collegio, summa etiam eloquen-a, L. Philippum, in consulatus petitione su-rauit.* et pro Murena: cap. 17. *Quis L. hilippum, summo ingenio, operâ, gratiâ, bilitate, à M. Herennio superari posse ar-tratus est?* Totum annum domi forisque anquillum fuisse, Obsequens scribit.

nno vrbis DCLXI. *Ciceronis* XV. COSS. *fuerunt*,

C. CLAVDIVS PVLCHER, M. PERPERNA.

Hic C. Claudius Ap. F. dicitur a Cicerone Verrina IV. cap. 49. Alii non male C. F. pellare videntur: vt sit P. Clodii patruus, iem consulem fuisse, Cicero in Cœliana p. 14. ostendit. Claudii oollega in frag-

mentis Capitolinorum Fastorum M. Perperna vocatur. Περπέρνας idem nominatur a Dione libr. XLI. ubi de ipsius morte scribit. Hoc anno Censor cum Cn. Domitio fuit L. Crassus: cuius censuræ Cicero in libris de Oratore aliquoties mentionem facit. Hoc etiam tempore clarissima illa M'. Curii et M. Coponii causa apud Centumuiros a duobus consularibus atque æqualibus L. Crasso et Q. Scæuola defensa est, paullo ante quam Cicero in forum venit, vt testatur ipse pro Cæcina. cap. 18. Meminit eiusdem lib. I. cap. 39. et 56. seq. et II. cap. 32. de Oratore, et in Bruto. cap. 39. et 52. vnde causam talem fuisse cognoscimus. Coponius in Testamento postumum hæredem scripserat: eique, si antequàm in tutelam suam veniret, mortuus esset, Manium Curium substituerat. cum postumus natus non esset, M. Coponius heres legitimus ad se hereditatem pertinere contendit, negauitque Scæuola Coponii patronus, nisi postumus, et natus, et antequam in suam tutelam veniret, esset mortuus, heredem eum esse posse, qui postumo, et nato, et mortuo, esset substitutus. Crassus, qui Curium defendebat, contendit, testatorem hac mente fuisse, vt si filius non esset, qui in tutelam veniret, Curius heres esset, idque omnibus probauit.

Anno

Anno vrbis DCLXII. *Ciceronis* XVI. COSS. *fuerunt*,

L. MARCIVS PHILIPPVS, SEX. IVLIVS CAESAR.

L. Philippus is est, quem a M. Herennio prius superatum fuisse, diximus. de eodem Cicero lib. II. cap. 17. de Officiis: *L. Philippus Q. F. magno vir ingenio, inprimisque clarus, gloriari solebat, se sine vllo munere adeptum esse omnia, quæ haberentur amplissima.* Hic annus decimus sextus terminus est pueritiæ Ciceronis, in qua, vt Plutarchus scribit, cum eas artes, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet, disceret, ingenium eius ita eluxit, tantumque nominis et gloriæ inter pueros habuit, vt eorum parentes, visendi Ciceronis cognoscendæque celebratæ celeritatis in discendo gratia, ad ludum venirent. Pueri quoque honoris gratia Ciceronem medium deducebant. de quo honore Plutarchus in Præceptis ciuilibus, et Ouidius lib. v. v. 67. Fastorum:

Et medius iuuenum, non indignantibus ipsis,
Ibat: et interior, si comes vnus erat.

Laudat etiam Plutarchus indolem Ciceronis, ac plane ipsum eiusmodi natura fuisse ait, qualem Plato lib. v. de Rep. in Philosopho et homine docili requirit. vbi Socrates ita concludit, οὐκ οὖν καὶ τὸν φιλόσοφον σοφίας φήσομεν ἐπιθυμητὴν εἶναι οὐ τῆς μιᾶς, τῆς δ᾽ οὔ, ἀλλὰ

 πα-

πάσης, id est, *Igitur et Philosophum dicemus sapientiæ amatorem esse, non vnius alicuius, sed vniuersæ.* Puer Cicero, cùm poësi inprimis delectaretur, Pontium Glaucum tetrametris composuit, quem sua etiamnum ætate exstitisse Plutarchus ait. Aeschylus ἐν τῷ Ποντίῳ Γλαύκῳ a Strabone, Athenæo et aliis citatur.

Hoc anno tribunus pleb. M. Liuius Drusus, cum senatui priscum restituere cuperet decus, et iudicia ab equitibus, qui tum lege Sempronia iudicabant, ad eum transferre ordinem: in iis ipsis, quæ pro senatu moliebatur, senatum habuit aduersarium, inquit Velleius lib. II. cap. 13. Cum igitur vehementius in veheretur in causam Principum consul Philippus, Drusique tribunatus, pro senatus auctoritate susceptus, infringi iam ac debilitari videretur: ludorum Romanorum diebus, quos a pridie Non. vsque ad Idus Septemb. fuisse, ex veteri Calendario cognoscitur, Crassus se cum C. Cotta et P. Sulpicio in Tusculanum contulit. quo cum primum Q. Scæuola et M. Antonius, deinde Q. Catulus et C. Iulius Cæsar venissent: habita fuit disputatio de Oratore, quam Cicero postea tribus libris complexus est, seque tum adhuc puerum fuisse, ait lib. XIII. ep. 19. Att. Idibus Septembris senatus frequens vocatu Drusi in Curiam venit, ibique permulta vehementissima contentione animi, ingenii, virium a L. Crasso dicta sunt: dicenti latus condoluit, sudorque multus consecutus est; ex quo cum cohorruisset,

isset, cum febri domum rediit, dieque septimo est lateris dolore consumtus. Cicero lib. I. cap. 7. et lib. III. cap. I. et 2. de Oratore. Drusus quoque, sociis et Italicis populis spe ciuitatis Roman. sollicitatis, cum e foro cinctus immensa multitudine reuertisset: in atrio domus suæ cultello percussus, qui affixus lateri eius relictus est, intra paucas horas decessit. Vellcius, lib. II. cap. 14. et Liuius libr. LXX. Cicero quoque libr. III. cap. 32. seq. de natura ait, Drusum domi suæ ferro a Q. Vario interfectum esse. et pro Milone cap. 7. *Tribunus pleb. M. Drusus occisus est: nihil de eius morte populus consultus, nulla questio decreta a senatu est.* Petiit eodem tempore tribunatum pl. C. Cotta is, qui anno post Rom. cond. DCLXXVIII. Consul cum L. Octauio fuit. sed paucis diebus post mortem Crassi depulsus per inuidiam Tribunatu, non multis ab eo tempore mensibus eiectus est e ciuitate, lib. III. cap. 3. de Oratore. Reus enim lege Varia factus, venit in iudicium: cumque res suas extulisset, et equites palam insectatus esset; antequam sententiæ de ipso ferrentur, vrbe cessit. Appianus lib. I. Crasso mortuo, Cotta pulso Cicero in forum venit vt ipse testatur in Bruto. cap. 88. Vnde cognoscitur, M. Tullium anno sequente, cum iudicia bello Italico intermissa essent, sumta virili toga in forum venisse. Deducebantur enim tum in forum adolescentes a patre, vel a propinquis, vt essent fori auditores, et sectatores iudiciorum. qua de re Tacitus in Dialogo de Oratoribus

cap. 34. meminit Cicero pro Cœlio. cap. 4. et ep. 10. libr. XIII. Famil. Filius etiam, qui togam virilem ſumebat, a patre et propinquis in forum deducebatur; vt Plutarchus in Bruto de Caſſii filio ſcribit, et togam virilem ἀνδρεῖον ἱμάτιον appellat. Dio lib. XLV. eandem ἐσθῆτα ἀνδρικὴν vocat. Hanc togam Latini etiam puram, et Græci ἀπόρφυρον nominant. Dabant etiam ſuis liberis Romani decimo ſexto fere anno. Sic enim Suetonius in Auguſto. cap. 8. *Quadrimus patrem amiſit: duodecimum annum agens, auiam Iuliam defunctam pro concione laudauit: quadriennio poſt, virili toga ſumta, militaribus donis triumpho Cæſaris Africano donatus eſt, quanquam expers belli propter ætatem.* ſic M. Tullius ſuo filio, quo auctus fuit Cæſare et Figulo coss, anno DCLXXXIX. togam puram dedit Lentulo et Marcello coss. Anno DCCIV. ep. 1. lib. 1. et ep. 20. lib. IX. ad Att. Adoleſcentes eo ipſo die, quo togam virilem ſumebant, in Capitolium aſcendiſſe, argumento eſt, quod Valerius libri V. cap. 4. de M. Cotta ſcribit, de quo Dio libr. XXXVI. Hoc anno multis prodigiis bellum Italicum ſignificatum fuit: quæ Siſenna initio belli Marſici expoſuit, auctore Cicerone, libr. 1. de Diuinat. c. 44. Eadem referuntur ab Obſequente, et Oroſio libro V. cap. 18. Tum Haruſpices Italici belli funeſta illa principia non obſcure prædixerunt. Cicero de haruſp. reſp. cap. 9.

Anno

Anno urbis DCLXIII. *Ciceronis* XVII. COSS. *fuerunt*,

L. IVLIVS CAESAR, P. RVTILIVS LVPVS.

HORVM Consulum Cicero lib. I. de Divinat. cap. 2. his verbis meminit: *Quin etiam memoria nostra templum Iunonis Sospita L. Iulius, qui cum P. Rutilio Consul fuit, de senatus sententia refecit ex Cacilia Balearici filia somnio.* et paullo post: *Cacilia Q. filia somnio modo, Marsico bello, templum est a senatu Iunoni Sospita restitutum.* Nam his consulibus, vt Paterculus scribit, ortum est bellum, quod, quia a Marsis primum commotum fuit, *Marsicum* est dictum, vt Strabo lib. v. scribit: atque ita vocatur a Cicerone etiam Phil. VIII. cap. 10. et orat. II. cap. 33. contra Rullum. ubi idem, sicut et Verrina IV. cap. 2. pro Cluentio cap. 7. pro Archia, cap. 4. et de Haruspicum resp. cap. 9. *Italicum* nominatur. Idem a Cicerone pro Fonteio cap. 14. *Sociale*, a Diodoro, Plutarcho, et Appiano, Μαρσικὸς et συμμαχικὸς πόλεμος dicitur. Defecerunt eo bello finitimi ac vicini, vt Cicero pro Sulla cap. 20. ait. Tu vide Orosium nostrum cap. 18. lib. v. Gestum est hoc anno et proximo sequente ab ipsis consulibus. Hinc Cicero pro Fonteio cap. 15. *Recordamini quos legatos nuper in bello L. Iulius, quos P. Rutilius, quos L. Cato, quos Cn. Pompeius habuerit.* Atque de his duobus annis intelligendum, quod Cicero in Bruto cap.

cap. 89. ſcribit: *Erat Hortenſius in bello primo anno miles, altero tribunus militum.* Hoc tempore, vt ibidem Cicero ait, iudicium exercebatur vna lege Varia. Tulerat eam Q. Varius aduerſus interceſſionem collegarum, annitentibus equitibus, vt quæreretur de iis, quorum opera conſilioue ſocii contra populum R. arma ſumſiſſent. Aſconius in orat. pro Scauro, Valerius lib. VIII. cap. 6. Appianus lib. I. cuius libri mendoſe Κόιντον Οὐαλέριον pro *Q. Vario* edunt. Sed cum multi Varia lege inique damnarentur, crebræque defectiones Italicorum nuntiarentur: tunc ob eius triſtitiæ occaſionem ſenatus decreuit, ne iudicia, dum tumultus Italicus eſſet, exercerentur. Aſconius pro Cornelio. Tum Cicero, vt ipſe in Bruto cap. 89. ait, quotidie et ſcribens et legens et commentans, oratoriis tamen exercitationibus contentus non erat. Quare, cum idem, auctore Quintiliano lib. X. cap. 3. in diſputationibus de Oratore iudicium ſuum cum Craſſi auctoritate coniunxerit: non dubium eſt, quin ipſe Tullius ſuas exercitationes lib. I. de Oratore cap. 34. ſub Craſſi perſona ita ſignificauerit: *In quotidianis cogitationibus equidem mihi adoleſcentulus proponere ſolebam illam exercitationem maximè, vt aut verſibus propoſitis quàm maximè grauibus; aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria poſſem comprehendere, eam rem ipſam, quam legiſſem, verbis aliis quàm maxime poſſem lectis pronuntiarem. Poſtea mihi placuit, eoque ſum vſus adoleſcens, vt*

ſum-

immorum oratorum Græcas orationes expli- arem: quibus lectis hoc assequebar, vt, cùm aqua legerem græce, latine redderem, non ilum optimis verbis vterer, et tamen vsita- is, sed etiam exprimerem quædam verba nitando, quæ noua nostris essent, dummodo ssent idonea. Tum igitur Cicero admodum dolescentulus, vt est lib. II. de natura Deo- um, cap. 41. Arati carmina de cælo stellisque onuertit, quorum fragmenta exstant. *Ma- ium* quoque illis temporibus, cum Scæuola iueret, (qui de eo dixit, *Canescit sæclis in- umerabilibus,*) scripsit. cuius a se scripti me- ninit lib. I. de legib. cap. I. lib. I. de Diuinat. ap. 48. et lib. XII. ad Att. ep. 48. De Mario liter Corradus: quem lib. I. de legibus refel- it. Extremo hoc anno L. Iulius Cæsar coss. egem Iuliam de ciuitate tulit: qua lege ciui- as est sociis et Latinis data, vt Cicero pro Bal- o cap. 8. ait.

Anno vrbis DCLXIV. *Ciceronis* XVIII. COSS. *fue- runt*,

* C. POMPEIVS STRABO, L. POR- CIVS CATO.

HOc anno primum senatores cum equitib. Rom. lege Plotia iudicarunt, cuius Ci- cero pro Cornelio meminit, et Asconius, eum ocum interpretans, scribit, his consulibus M.Plau-

* Etiam CN. debuit vocare, vt in loco Philipp. XII. nunc editum.

M. Plautium Siluanum tribunum pl. eam legem tulisse. Tulit idem legem Plotiam de vi, de qua Cicero pro Milone, cap. 13. de Harusp. resp. et alibi. De eodem hoc anno Cicero in Bruto, cap. 89. *Iam consequente anno Q. Varius sua lege damnatus, excesserat, ego autem iuris ciuilis studio multum opera dabam Q. Scæuolæ, P. F. qui quanquam nemini se ad docendum dabat; tamen consulentibus respondendo studiosos audiendi dicebat.* Atque hic est Q. Mucius Augur, ad quem, sumta virili toga, Cicero a patre ita erat deductus, vt quoad posset, et liceret, a senis latere nunquam discederet; quod ipse in Lælio cap. 1. scribit. Sed cum Q. Scæuola Augur, qui cum L. Metello Consul fuit Anno vrbis DCXXXVI. in monumentis antiquis Q. F. dicatur: videndum, an patris prænomen in Ciceronis libris sit deprauatum. nam Scæuolam Pontificem, quem Corradus et alii viri docti significari putant, intelligi non posse, inde constat, quod Cicero se ad Pontificem, non nisi Augure mortuo, contulit. Augur autem non solum hoc, verum etiam sequente anno superstes fuit, ac tum Ciceroni sermonem Lælii de amicitia exposuit, vt e Lælio M. Tullii perspicuum est. De eodem Augure Cicero hæc Philippica VIII. cap. 10. *Ego Q. Scæuolam Augurem memoria teneo bello Marsico, cum esset summa senectute et perdita valetudine, quotidie, simulatque luceret, facere omnibus conueniendi sui potestatem: neque eum quisquam illo bello vidit in lecto; senex-*

exque et debilis primus veniebat in curiam. lutarchus scribit, Ciceronem bello Marsico .iquandiu sub Sulla militasse. Apud Sullam :gatum se fuisse, cum ille hoc anno ante op-idum Nolam florentissima Samnitium castra :epit, ipse Cicero lib. 1. cap. 33. de Diuina-.one scribit. de hac sua militia etiam Philipp. ii. cap. 11. hæc memoriæ prodidit: *C. Pom-eius Sex. F. consul, me præsente, cum essem iro in eius exercitu, cum P. Vettio Catone, 'uce Marsorum, inter bina castra collocutus ft.* Hoc anno censores fuerunt P. Licinius :rassus, et L. Iulius Cæsar: quibus censori-us nullam populi partem esse censam, Cicero it pro Archia. cap. 5.

Anno vrbis DCLXV. *Ciceronis* XIX. COSS. *fue-runt,*

.. CORNELIVS SVLLA, Q. POM-PEIVS RVFVS.

DE hoc anno Cicero in Bruto c. 89. *Atque huic anno proximus, Sulla consule, et Pompeio, fuit. tum P. Sulpicii in Tribunatu quotidie concionantis, totum genus dicendi pe-nitus cognouimus. Sulpicium ab optima cau-sa profectum, Caioque Iulio, consulatum con-tra leges petenti, resistentem, longius, quam voluit, popularis aura prouexit.* ait idem de Resp. Harusp. cap. 20. Dissidebat enim capi-tali odio a Q. Pompeio consule, quicum con-unctissime et amantissime vixerat, in Lælio cap. 1. cumque auctore Mario perniciosas le-

ges

ges (quas per vim latas, Sulla dicebat, vt est Philipp. VIII. cap. 2.) promulgaret, ac Pompeii consulis filium, Sullæ generum occidisset, Sulla cum exercitu in vrbem venit, ex eaque Sulpicii et Marii factionem expulit, Liuius libro LXXVII. et alii. tum Sulla P. Sulpicium oppressit, eique ferro erepta vita est: Cicero in Catilin. III. cap. 10. et lib. III. cap. 3. de Oratore. Marius primo senile corpus, paludibus demersus, occultauit: deinde ad infimorum ac tenuissimorum hominum Minturnis misericordiam confugit: inde nauigio perparuo, cum omnes portus terrasque fugeret, in oras Africæ desertissimas peruenit, ait Cicero pro Sextio cap. 22. Historiam pleniorem apud Plutarchum, Appianum, Velleium, lib. II. cap. 19. et in Epitoma Liuii inuenies. De eodem Cicero post reditum ad Quirites: cap. 8. *C. Marium egomet dicere audiui, tum se fuisse miserum, cum careret patria, quam obsidione liberauisset: cum sua bona possideri ab inimicis, ac diripi, audiret: cum adolescentem filium videret eiusdem socium calamitatis: cum in paludibus demersus concursu ac misericordia Minturnensium corpus ac vitam suam conseruasset: cum parua nauicula traiectus in Africam, quibus regna ipse dederat, ad eos inops supplexque venisset.* et in Pisonem cap. 19. *C. Marium Italia seruata ab illo demersum in Minturnensium paludibus, Africa deuicta ab eodem expulsum et naufragum vidit.* Dum hæc in Italia geruntur, interim Mithridates rex Ponti, Ariobarzane et Nico-

mede

nede amicis populi Rom. exactis Cappadocia tque Bithynia, Asiam intrauit, vnaque die ota Asia tot in ciuitatibus, vno nuntio, atue vna literarum significatione ciues Roman. ecandos trucidandosque denotauit, Cicero n Maniliana, cap. 3. Liuius lib. LXXVIII. Vaerius lib. II. cap. 2. Plutarchus in Sulla, Apianus in Mithridatico. Atque hæc est illa niuersorum ciuium Romanorum per tot vres vno puncto temporis misera crudelisque ædes, quam Cic. pro Flacco cap. 25. nomiat. Hanc vero crudelitatem Mithridatis in ogatos P. Rutilius Rufus, cum a rege Mytienis oppressus esset, vestis mutatione vitait, vt est in orat. pro Rabirio Postumo. ap. 10. Idem in Maniliana cap. 5. ait: Mithriatem tum legatum populi Rom. consularem inculis ac verberibus, atque omni supplicio xcruciatum necasse. Intelligit autem M'. Auillium consulem anni DCLII. de quo, præter ppianum, Iustinus lib. XXXVIII. et cap. 3. seq. thenæus lib. V. Dipnosoph. Cicero etiam ac de causa M'. Aquillii mentionem facit usculan. V. cap. 5. Vrbs Rhodus sola tum in de mansit, atque oppugnata fuit, vt est in epiома Liuii lib. LXXVIII. Vnde Cicero in err. IV. cap. 65. ait: Rhodios prope solos belm illud superius cum Mithridate gessisse, mnesque eius copias acerrimumque impeum mœnibus, littoribus, classibusque suis ccepisse. Eodem tempore, cum princeps cademiæ Philo cum Athenienfium optimatius Mithridatico bello domo profugisset, Romam-

vidimus, sapientissimi tulerunt. in quem locum Asconius plura scribit. Crasso Gallia prouincia obuenit, in eaque rem gessit: de qua Cicero lib. II. cap. 37. de Inuentione, et in Pisonem. cap. 26. Q. Mucius in Asia legatum habuit P. Rutilium Rufum, qui Consul fuerat anno DCXLVIII. et quia publicanis nihil agere in Asia permiserat, eorum conspiratione in iudicium vocatus ab equitibus, qui tum iudicabant, damnatus est, vt scripsi in cap. 17. lib. V. Orosii. Meminit eius Cicero passim, lib. I. cap. 53. de Oratore, in Bruto, cap. 29. pro Fonteio, cap. 13. in Pisonem, cap. 39. lib. III. cap. 32. de Natura Deor. et alibi. His Consulibus Prætor fuit, suo anno C. Claudius Ap. F. Pulcher, vt est in Verrina IV. cap. 49.

Anno vrbis DCLIX. *Ciceronis* XIII. COSS. *fuerunt*,

C. COELIVS CALDVS, L. DOMITIVS AHENOBARBVS.

COELIUM hunc inter nouos homines numerat Cicero pro Murena. cap. 8. Eundem non mediocribus inimicitiis ac laboribus contendisse, vt ad summos honores perueniret, ait in Ver. VII. cap. 70. De eodem Crassus libr. I. cap. 25. de Orat. *Quis non videat, C. Cœlio, æquali meo, magno honori fuisse, homini nouo, illam ipsam, quamcunque habuit, in dicendo mediocritatem?* Hac de causa meminit eius in Bruto. cap. 45. Eundem clarissimum ac fortissimum adolescentem Quæstorem non esse factum, ait pro Plancio. cap. 21. ubi male,

ale, *Q. Cælius* legitur L. Domitius prætor ciliam obtinuerat, atque feueritatis exemum in paftorem, qui aprum venabulo perıfferat, ediderat. quod ex Ciceronis Verr. vII. ıp. 3. Valerius in cap. 3. libr. vI. transtulit.

nno vrbis DCLX. *Ciceronis* XIV. COSS. *fuerunt*,

. VALERIVS FLACCVS, M. HERENNIVS.

M. Herennius is eft, qui in confulatus petitione L. Philippum fuperauit. de quo icero in Bruto: cap. 45. *Eodem tempore M. erennius in mediocribus oratoribus, Latinè diligenter loquentibus, numeratus eft: qui amen fumma nobilitate hominem, cognatioe, fodalitate, collegio, fumma etiam eloquena, L. Philippum, in confulatus petitione fuerauit.* et pro Murena: cap. 17. *Quis L. hilippum, fummo ingenio, operâ, gratiâ, obilitate, à M. Herennio fuperari poffe artratus eft?* Totum annum domi forisque anquillium fuiffe, Obfequens fcribit.

nno vrbis DCLXI. *Ciceronis* XV. COSS. *fuerunt*,

C. CLAVDIVS PVLCHER, M. PERPERNA.

HIc C. Claudius Ap. F. dicitur a Cicerone Verrina IV. cap. 49. Alii non male C. F. ppellare videntur: vt fit P. Clodii patruus, uem confulem fuiffe, Cicero in Cœliana ıp. 14. oftendit. Claudii collega in frag-

mentis Capitolinorum Fastorum M. Perperna vocatur. Περπέρνας idem nominatur a Dione libr. XLI. ubi de ipsius morte scribit. Hoc anno Censor cum Cn. Domitio fuit L. Crassus: cuius censuræ Cicero in libris de Oratore aliquoties mentionem facit. Hoc etiam tempore clarissima illa M'. Curii et M. Coponii causa apud Centumuiros a duobus consularibus atque æqualibus L. Crasso et Q. Scæuola defensa est, paullo ante quam Cicero in forum venit, vt testatur ipse pro Cæcina. cap. 18. Meminit eiusdem lib. I. cap. 39. et 56. seq. et II. cap. 32. de Oratore, et in Bruto. cap. 39. et 52. vnde causam talem fuisse cognoscimus. Coponius in Testamento postumum hæredem scripserat: eique, si antequàm in tutelam suam veniret, mortuus esset, Manium Curium substituerat. cum postumus natus non esset, M. Coponius heres legitimus ad se hereditatem pertinere contendit, negauitque Scæuola Coponii patronus, nisi postumus, et natus, et antequam in suam tutelam veniret, esset mortuus, heredem eum esse posse, qui postumo, et nato, et mortuo, esset substitutus. Crassus, qui Curium defendebat, contendit, testatorem hac mente fuisse, vt si filius non esset, qui in tutelam veniret, Curius heres esset, idque omnibus probauit.

Anno

Anno vrbis DCLXII. *Ciceronis* XVI. COSS. *fuerunt*,

.. MARCIVS PHILIPPVS, SEX. IVLIVS CAESAR.

Philippus is est, quem a M. Herennio prius superatum fuisse, diximus. de eodem Cicero lib. II. cap. 17. de Officiis: *L. Philippus Q. F. magno vir ingenio, inprimisque clarus, loriari solebat, se sine vllo munere adeptum se omnia, quae haberentur amplissima.* Hic nnus decimus sextus terminus est pueritiae Ciceronis, in qua, vt Plutarchus scribit, cum as artes, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, disceret, ingenium eius a eluxit, tantumque nominis et gloriae inter ueros habuit, vt eorum parentes, visendi Ciceronis cognoscendaeque celebratae celeriatis in discendo gratia, ad ludum venirent. ueri quoque honoris gratia Ciceronem meium deducebant. de quo honore Plutarchus i Praeceptis ciuilibus, et Ouidius lib. v. v. 67. astorum:

Et medius iuuenum, non indignantibus ipsis,
Ibat: et interior, si comes vnus erat.

Laudat etiam Plutarchus indolem Ciceronis, ac plane ipsum eiusmodi natura fuisse ait, ualem Plato lib. v. de Rep. in Philosopho et omine docili requirit. vbi Socrates ita conudit, οὐκ οὖν καὶ τὸν φιλόσοφον σοφίας φήσομεν πιθυμητὴν εἶναι, οὐ τῆς μιᾶς, τῆς δ᾽ οὐ, ἀλλὰ πα-

πάσης, id est, *Igitur et Philosophum dicemus sapientiæ amatorem esse, non vnius alicuius, sed vniuersæ.* Puer Cicero, cùm poësi inprimis delectaretur, Pontium Glaucum tetrametris composuit, quem sua etiamnum ætate exstitisse Plutarchus ait. Aeschylus ἐν τῷ Ποντίῳ Γλαύκῳ a Strabone, Athenæo et aliis citatur.

Hoc anno tribunus pleb. M. Liuius Drusus, cum senatui priscum restituere cuperet decus, et iudicia ab equitibus, qui tum lege Sempronia iudicabant, ad eum transferre ordinem: in iis ipsis, quæ pro senatu moliebatur, senatum habuit aduersarium, inquit Velleius lib. II. cap. 13. Cum igitur vehementius in veheretur in causam Principum consul Philippus, Drusique tribunatus, pro senatus auctoritate susceptus, infringi iam ac debilitari videretur: ludorum Romanorum diebus, quos a pridie Non. vsque ad Idus Septemb. fuisse, ex veteri Calendario cognoscitur, Crassus se cum C. Cotta et P. Sulpicio in Tusculanum contulit. quo cum primum Q. Scæuola et M. Antonius, deinde Q. Catulus et C. Iulius Cæsar venissent: habita fuit disputatio de Oratore, quam Cicero postea tribus libris complexus est, seque tum adhuc puerum fuisse, ait lib. XIII. ep. 19. Att. Idibus Septembris senatus frequens vocatu Drusi in Curiam venit, ibique permulta vehementissima contentione animi, ingenii, virium a L. Crasso dicta sunt; dicenti latus condoluit, sudorque multus consecutus est; ex quo cum cohorruisset,

ſſet, cum febri domum rediit, dieque ſepti-
no eſt lateris dolore conſumtus. Cicero
ib. I. cap. 7. et lib. III. cap. I. et 2. de Orato-
e. Druſus quoque, ſociis et Italicis populis
pe ciuitatis Roman. ſollicitatis, cum e foro
inctus immenſa multitudine reuertiſſet: in
trio domus ſuæ cultello percuſſus, qui affixus
ateri eius relictus eſt, intra paucas horas de-
eſſit. Velleius, lib. II. cap. 14. et Liuius
ibr. LXX. Cicero quoque libr. III. cap. 32. ſeq.
le natura ait, Druſum domi ſuæ ferro a Q. Va-
io interfectum eſſe. et pro Milone cap. 7.
*Tribunus pleb. M. Druſus occiſus eſt: nihil de
ius morte populus conſultus, nulla quæſtio de-
reta a ſenatu eſt.* Petiit eodem tempore tri-
bunatum pl. C. Cotta is, qui anno poſt Rom.
cond. DCLXXVIII. Conſul cum L. Octauio fuit.
ed paucis diebus poſt mortem Craſſi depulſus
per inuidiam Tribunatu, non multis ab eo
empore menſibus eiectus eſt e ciuitate, lib. III.
cap. 3. de Oratore. Reus enim lege Varia
actus, venit in iudicium: cumque res ſuas
extuliſſet, et equites palam inſectatus eſſet;
antequam ſententiæ de ipſo ferrentur, vrbe
ceſſit. Appianus lib. I. Craſſo mortuo, Cotta
pulſo Cicero in forum venit vt ipſe teſtatur in
Bruto. cap. 88. Vnde cognoſcitur, M. Tul-
ium anno ſequente, cum iudicia bello Italico
intermiſſa eſſent, ſumta virili toga in forum
veniſſe. Deducebantur enim tum in forum
adoleſcentes a patre, vel a propinquis, vt eſ-
ſent fori auditores, et ſectatores iudiciorum.
qua de re Tacitus in Dialogo de Oratoribus

cap. 34. meminit Cicero pro Cœlio. cap. 4. et ep. 10. libr. XIII. Famil. Filius etiam, qui togam virilem sumebat, a patre et propinquis in forum deducebatur; vt Plutarchus in Bruto de Cassii filio scribit, et togam virilem ἀνδρεῖον ἱμάτιον appellat. Dio lib. XLV. eandem ἐσθῆτα ἀνδρικὴν vocat. Hanc togam Latini etiam puram, et Græci ἀπόρφυρον nominant. Dabant etiam suis liberis Romani decimo sexto fere anno. Sic enim Suetonius in Augusto. cap. 8. *Quadrimus patrem amisit: duodecimum annum agens, auiam Iuliam defunctam pro concione laudauit: quadriennio post, virili toga sumta, militaribus donis triumpho Cæsaris Africano donatus est, quanquam expers belli propter ætatem.* sic M. Tullius suo filio, quo auctus fuit Cæsare et Figulo coss, anno DCLXXXIX. togam puram dedit Lentulo et Marcello coss. Anno DCCIV. ep. 1. lib. 1. et ep. 20. lib. IX. ad Att. Adolescentes eo ipso die, quo togam virilem sumebant, in Capitolium ascendisse, argumento est, quod Valerius libri V. cap. 4. de M. Cotta scribit, de quo Dio libr. XXXVI. Hoc anno multis prodigiis bellum Italicum significatum fuit: quæ Sisenna initio belli Marsici exposuit, auctore Cicerone, libr. 1. de Diuinat. c. 44. Eadem referuntur ab Obsequente, et Orosio libro V. cap. 18. Tum Haruspices Italici belli funesta illa principia non obscure prædixerunt. Cicero de harusp. resp. cap. 9.

Anno

Anno vrbis DCLXIII. *Ciceronis* XVII. COSS. *fuerunt*,

L. IVLIVS CAESAR, P. RVTILIVS LVPVS.

HORVM Consulum Cicero lib. I. de Divinat. cap. 2. his verbis meminit: *Quin etiam memoria nostra templum Iunonis Sospitæ L. Iulius, qui cum P. Rutilio Consul fuit, de senatus sententia refecit ex Cæciliæ Balearici filiæ somnio.* et paullo post: *Cæciliæ Q. filiæ somnio modo, Marsico bello, templum est a senatu Iunoni Sospitæ restitutum.* Nam his consulibus, vt Paterculus scribit, ortum est bellum, quod, quia a Marsis primum commotum fuit, *Marsicum* est dictum, vt Strabo lib. v. scribit: atque ita vocatur a Cicerone etiam Phil. VIII. cap. 10. et orat. II. cap. 33. contra Rullum. ubi idem, sicut et Verrina IV. cap. 2. pro Cluentio cap. 7. pro Archia, cap. 4. et de Haruspicum resp. cap. 9. *Italicum* nominatur. Idem a Cicerone pro Fonteio cap. 14. *Sociale*, a Diodoro, Plutarcho, et Appiano, Μαρσικὸς et συμμαχικὸς πόλεμος dicitur. Defecerunt eo bello finitimi ac vicini, vt Cicero pro Sulla cap. 20. ait. Tu vide Orosium nostrum cap. 18. lib. v. Gestum est hoc anno et proximo sequente ab ipsis consulibus. Hinc Cicero pro Fonteio cap. 15. *Recordamini quos legatos nuper in bello L. Iulius, quos P. Rutilius, quos L. Cato, quos Cn. Pompeius habuerit.* Atque de his duobus annis intelligendum, quod Cicero in Bruto

cap. 89. ſcribit: *Erat Hortenſius in bello primo anno miles, altero tribunus militum.* Hoc tempore, vt ibidem Cicero ait, iudicium exercebatur vna lege Varia. Tulerat eam Q. Varius aduerſus interceſſionem collegarum, annitentibus equitibus, vt quæreretur de iis, quorum opera conſilioue ſocii contra populum R. arma ſumſiſſent. Aſconius in orat. pro Scauro, Valerius lib. VIII. cap. 6. Appianus lib. I. cuius libri mendoſe Κόιντον Οὐαλέριον pro *Q. Vario* edunt. Sed cum multi Varia lege inique damnarentur, crebræque defectiones Italicorum nuntiarentur: tunc ob eius triſtitiæ occaſionem ſenatus decreuit, ne iudicia, dum tumultus Italicus eſſet, exercerentur. Aſconius pro Cornelio. Tum Cicero, vt ipſe in Bruto cap. 89. ait, quotidie et ſcribens et legens et commentans, oratoriis tamen exercitationibus contentus non erat. Quare, cum idem, auctore Quintiliano lib. X. cap. 3. in diſputationibus de Oratore iudicium ſuum cum Craſſi auctoritate coniunxerit; non dubium eſt, quin ipſe Tullius ſuas exercitationes lib. I. de Oratore cap. 34. ſub Craſſi perſona ita ſignificauerit: *In quotidianis cogitationibus equidem mihi adoleſcentulus proponere ſolebam illam exercitationem maximè, vt aut verſibus propoſitis quàm maximè grauibus; aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria poſſem comprehendere, eam rem ipſam, quam legiſſem, verbis aliis quàm maxime poſſem lectis pronuntiarem. Poſtea mihi placuit, eoque ſum vſus adoleſcens, vt*

ſum-

summorum oratorum Græcas orationes explicarem: quibus lectis hoc assequebar, vt, cùm ea quæ legerem græce, latine redderem, non solum optimis verbis vterer, et tamen vsitatis, sed etiam exprimerem quædam verba imitando, quæ noua nostris essent, dummodo essent idonea. Tum igitur Cicero admodum adolescentulus, vt est lib. II. de natura Deorum, cap. 41. Arati carmina de cælo stellisque conuertit, quorum fragmenta exstant. *Marium* quoque illis temporibus, cum Scæuola viueret, (qui de eo dixit, *Canescit sæclis innumerabilibus,)* scripsit. cuius a se scripti meminit lib. I. de legib. cap. I. lib. I. de Diuinat. cap. 48. et lib. XII. ad Att. ep. 48. De Mario aliter Corradus: quem lib. I. de legibus refellit. Extremo hoc anno L. Iulius Cæsar coss. legem Iuliam de ciuitate tulit: qua lege ciuitas est sociis et Latinis data, vt Cicero pro Balbo cap. 8. ait.

Anno vrbis DCLXIV. *Ciceronis* XVIII. COSS. *fuerunt*,

* C. POMPEIVS STRABO, L. PORCIVS CATO.

HOc anno primum senatores cum equitib. Rom. lege Plotia iudicarunt, cuius Cicero pro Cornelio meminit, et Asconius, eum locum interpretans, scribit, his consulibus M.Plau-

* Etiam CN. debuit vocare, vt in loco Philipp. XII. nunc editum.

M. Plautium Siluanum tribunum pl. eam legem tulisse. Tulit idem legem Plotiam de vi, de qua Cicero pro Milone, cap. 13. de Harusp. resp. et alibi. De eodem hoc anno Cicero in Bruto, cap. 89. *Iam consequente anno Q. Varius sua lege damnatus, excesserat, ego autem iuris ciuilis studio multum opera dabam Q. Scauola, P. F. qui quanquam nemini se ad docendum dabat; tamen consulentibus respondendo studiosos audiendi dicebat.* Atque hic est Q. Mucius Augur, ad quem, sumta virili toga, Cicero a patre ita erat deductus, vt quoad posset, et liceret, a senis latere nunquam discederet; quod ipse in Lælio cap. 1. scribit. Sed cum Q. Scæuola Augur, qui cum L. Metello Consul fuit Anno vrbis DCXXXVI. in monumentis antiquis Q. F. dicatur: videndum, an patris prænomen in Ciceronis libris sit deprauatum. nam Scæuolam Pontificem, quem Corradus et alii viri docti significari putant, intelligi non posse, inde constat, quod Cicero se ad Pontificem, non nisi Augure mortuo, contulit. Augur autem non solum hoc, verum etiam sequente anno superstes fuit, ac tum Ciceroni sermonem Lælii de amicitia exposuit, vt e Lælio M. Tullii perspicuum est. De eodem Augure Cicero hæc Philippica VIII. cap. 10. *Ego Q. Scæuolam Augurem memoria teneo bello Marsico, cum esset summa senectute et perdita valetudine, quotidie, simulatque luceret, facere omnibus conueniendi sui potestatem: neque eum quisquam illo bello vidit in lecto; se-*

nex-

nexque et debilis primus veniebat in curiam. Plutarchus ſcribit, Ciceronem bello Marſico aliquandiu ſub Sulla militaſſe. Apud Sullam legatum ſe fuiſſe, cum ille hoc anno ante oppidum Nolam florentiſſima Samnitium caſtra cepit, ipſe Cicero lib. 1. cap. 33. de Diuinatione ſcribit. de hac ſua militia etiam Philipp. XII. cap. 11. hæc memoriæ prodidit: *C. Pompeius Sex. F. conſul, me præſente, cum eſſem tiro in eius exercitu, cum P. Vettio Catone, duce Marſorum, inter bina caſtra collocutus eſt.* Hoc anno cenſores fuerunt P. Licinius Craſſus, et L. Iulius Cæſar: quibus cenſoribus nullam populi partem eſſe cenſam, Cicero ait pro Archia. cap. 5.

Anno vrbis DCLXV. *Ciceronis* XIX. COSS. *fuerunt,*

L. CORNELIVS SVLLA, Q. POMPEIVS RVFVS.

DE hoc anno Cicero in Bruto c. 89. *Atque huic anno proximus, Sulla conſule, et Pompeio, fuit. tum P. Sulpicii in Tribunatu quotidie concionantis, totum genus dicendi penitus cognouimus. Sulpicium ab optima cauſa profectum, Caioque Iulio, conſulatum contra leges petenti, reſiſtentem, longius, quam voluit, popularis aura prouexit.* ait idem de Reſp. Haruſp. cap. 20. Diſſidebat enim capitali odio a Q. Pompeio conſule, quicum coniunctiſſime et amantiſſime vixerat, in Lælio cap. 1. cumque auctore Mario pernicioſas le-

ges

ges (quas per vim latas, Sulla dicebat, vt est Philipp. VIII. cap. 2.) promulgaret, ac Pompeii consulis filium, Sullæ generum occidisset, Sulla cum exercitu in vrbem venit, ex eaque Sulpicii et Marii factionem expulit, Liuius libro LXXVII. et alii. tum Sulla P. Sulpicium oppressit, eique ferro erepta vita est: Cicero in Catilin. III. cap. 10. et lib. III. cap. 3. de Oratore. Marius primo senile corpus, paludibus demersus, occultauit: deinde ad infimorum ac tenuissimorum hominum Minturnis misericordiam confugit: inde nauigio perparuo, cum omnes portus terrasque fugeret, in oras Africæ desertissimas peruenit, ait Cicero pro Sextio cap. 22. Historiam pleniorem apud Plutarchum, Appianum, Velleium, lib. II. cap. 19. et in Epitoma Liuii inuenies. De eodem Cicero post reditum ad Quirites: cap. 8. *C. Marium egomet dicere audiui, tum se fuisse miserum, cum careret patria, quam obsidione liberauisset: cum sua bona possideri ab inimicis, ac diripi, audiret: cum adolescentem filium videret eiusdem socium calamitatis: cum in paludibus demersus concursu ac misericordia Minturnensium corpus ac vitam suam conseruasset: cum parua nauicula traiectus in Africam, quibus regna ipse dederat, ad eos inops supplexque venisset.* et in Pisonem cap. 19. *C. Marium Italia seruata ab illo demersum in Minturnensium paludibus, Africa deuicta ab eodem expulsum et naufragum vidit.* Dum hæc in Italia geruntur, interim Mithridates rex Ponti, Ariobarzane et Nicomede

.ede amicis populi Rom. exactis Cappadocia que Bithynia, Asiam intrauit, vnaque die ›ta Asia tot in ciuitatibus, vno nuntio, at- ɹe vna literarum significatione ciues Roman. :cándos trucidandosque denotauit, Cicero ı Maniliana, cap. 3. Liuius lib. LXXVIII. Va- rius lib. II. cap. 2. Plutarchus in Sulla, Ap- .anus in Mithridatico. Atque hæc est illa niuersorum ciuium Romanorum per tot vr- es vno puncto temporis misera crudelisque ædes, quam Cic. pro Flacco cap. 25. nomi- ıt. Hanc vero crudelitatem Mithridatis in ›gatos P. Rutilius Rufus, cum a rege Myti- :nis oppressus esset, vestis mutatione vita- it, vt est in orat. pro Rabirio Postumo. ıp. 10. Idem in Maniliana cap. 5. ait: Mithri- atem tum legatum populi Rom. consularem inculis ac verberibus, atque omni supplicio xcruciatum necasse. Intelligit autem M'. A- uillium consulem anni DCLII. de quo, præter .ppianum, Iustinus lib. XXXVIII. et cap. 3. seq. .thenæus lib. v. Dipnosoph. Cicero etiam ac de causa M'. Aquillii mentionem facit 'uscul. v. cap. 5. Vrbs Rhodus sola tum in de mansit, atque oppugnata fuit, vt est in epi- ɔma Liuii lib. LXXVIII. Vnde Cicero in 'err. IV. cap. 65. ait: Rhodios prope solos bel- ım illud superius cum Mithridate gessisse, mnesque eius copias acerrimumque impe- ɹm mœnibus, littoribus, classibusque suis xcepisse. Eodem tempore, cum princeps ‹cademiæ Philo cum Atheniensium optimati- us Mithridatico bello domo profugisset, Ro-

mamque venisset: totum ei se Cicero tradidit, admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus, vt ipse in Bruto c. 89. ait. Hinc Plutarchus scribit, Ciceronem, cum e pueris excessisset, Philonem Academicum audiuisse: quem inter Clitomachi discipulos Romani inprimis et propter doctrinam admirabantur, et propter morum mansuetudinem diligebant. Philonem igitur Cicero lib. 1. cap. 2. de Natura Deor. inter eos philosophos numerat, a quibus institutus fuit. de eodem in Lucullo cap. 6. *Iam Clitomacho Philo noster operam multos annos dedit. Philone autem viuo patrocinium Academiæ non defuit.* Phædrus quoque Ciceroni, cum puer esset antequam Philonem cognouisset, valde vt philosophus, probatus fuit, epist. 1. lib. xiii. Famil. Merito igitur lib. 1. cap. 3. de Natura scripsit, non mediocrem se a primo tempore ætatis in philosophiæ studio operam curamque consumsisse: in quo hoc etiam commorabatur attentius, quod sublata iam esse in perpetuum ratio iudiciorum videbatur; vt ait in Bruto. cap. 80. Hoc etiam anno, vt iam retulimus, Q. Mucius Augur Lælii de amicitia sermonem habitum, ab illo paucis diebus post mortem Africani, Aquillio et Tuditano consulibus, anno DCXXIV. Ciceroni exposuit. Augure mortuo Cicero se ad Q. Scæuolam pontificem contulit: cui Reip. et senatus principi cum operam daret, peritus iuris euasit, vt Plutarchus scribit. Vnde Attic. lib. 1. cap. 4. de leg. Tullium his verbis affatur: *Nam*

*im a primo tempore ætatis iuri studere te
:mini, cum ipse etiam ad Scæuolam venti-
rem; neque vnquam mihi visus es ita te ad
:endum dedisse, vt ius ciuile contemneres*,
Brutus de claris Orator. cap. 40. *Tu mihi
deris tantum iuris ciuilis scire voluisse,
antum satis esset Oratori*. Q. Scæuola pon-
ex, seu, vt Appianus eum nominat, Μέ-
ϑ Σκαιόλας ὁ τὴν μεγίστην Ῥωμαίοις ἱερωσύνην
ὡμενος, is est, quem supra consulem cum
. Crasso fuisse anno ab V. C. DCLVIII. scripsi-
us: de cuius morte dicemus ad annum
:LXXI.

Anno vrbis DCLXVI. *Ciceronis* XX. COSS. *fue-
runt*,

N. OCTAVIVS, L. CORNELIVS CINNA.

HOc anno Cinna consul, cum perniciosas
leges per vim ferret, vrbe a Cn. Octauio
)llega pulsus est: Liuius lib. LXXIX. Vnde Ci-
:ro in Catil. III. cap. 10. *Cn. Octauius consul
'rmis ex vrbe collegam suum expulit. omnis
'c locus aceruis corporum, et ciuium sangui-
: redundauit*. Atque ita bellum Octauia-
ım commotum est: cuius meminit Cicero
I. de diuin. cap. 2. et lib. II. c. 5. de Natura
eorum. *Tum*, inquit, *stellis iis, quas
raci* cometas, *nostri* crinitas *vocant*, *quæ
uper bello Octauiano magnarum fuerunt ca-
:mitatum prænuntiæ*. vide Plinium lib. II.
ıp. 25. Dissensionis inter Octauium et Cin-

nam meminit Cicero etiam de haruſpicum reſp. c. 25. Cinna vrbe pulſus, corruptum App. Claudii exercitum in poteſtatem ſuam redegit, vt Liuius lib. LXXIX. ſcripſit. App. Claudio, P. Clodii patri, imperium hoc tempore abrogatum fuiſſe, Cicero pro domo cap. 31. ait. Tum Marius, cum reliquis exſulibus ex Africa arceſſitus, cum in vrbem recepti eſſent, eam velut captam cædibus et rapinis vaſtarunt: qua de re Oroſius lib. v. c. 19. et ego in eum locum. Hinc Cicero poſt red. in ſenatu cap. 15. ait, C. Marium reditu ſuo ſenatum cunctum pæne deleuiſſe. Tum Q. Catulus, M. Antonius. C. Iulius, trium ætatum oratores tres, ſunt crudeliſſime interfecti: Cicero in Bruto. cap. 89. Et Marius quidem Cimbricæ victoriæ gloriam cum collega Catulo communicauit: poſtea vero ciuili bello victor iratus, neceſſariis Q. Catuli deprecantib. non ſemel reſpondit, *moriatur*. Idem Tuſcul. v. cap. 19. et Cotta lib. III. cap. 32. de Natura Deor. *Cur tot ciuitatis principes a Cinna interemti? cur omnium perfidioſiſſimus C. Marius Q. Catulum præſtantiſſima dignitate virum mori potuit iubere?* M. Antonii in iis ipſis roſtris in quibus ille Remp. conſtantiſſime conſul defenderat, quæque cenſor imperatoriis manubiis ornarat, poſitum caput illud fuit, a quo erant multorum ciuium capita conſeruata: lib. 3. cap. 3. de Orat. et Tuſcul. v. c. 10. *Cinna collegæ ſui conſulis Cn. Octauii præcidi caput iuſſit, P. Craſſi, L. Cæſaris nobiliſſimorum hominum, quorum vir-*

virtus fuerat domi militiaque cognita, M. Antonii omnium eloquentissimi quos audierim, C. Cæsaris, in quo mihi videtur fuisse specimen humanitatis, salis, suauitatis, leporis. De his omnib. vide procemium lib. III. de Orat. De P. Crasso Cicero pro Sextio, cap. 21. *In qua ciuitate ipse meminissem patrem huius M. Crassi, fortissimum virum, ne videret victorem viuus inimicum, eadem sibi manu vitam exhausisse, qua mortem sæpe hostibus obtulisset.* de eodem pro Scauro, et ibi Asconius. Hoc anno M. Tullius Moloni Rhodio Romæ dedit operam, et actori summo causarum, et magistro, vt ait in Bruto. cap. 89. de quo Molone Plutarchus in Cic. et Cæsare, Strabo lib. XIV. Quintilianus lib. III. cap. 1. et Suetonius in Iulio Cæsare. cap. 4. Molonem Rhetorem studia M. Ciceronis acuisse, ait etiam Valerius Max. lib. II. cap. 1. Circa hoc tempus Cicero adolescens commentarios Rhetoricos de Inuentione inchoatos et rudes edidit: quod ipse initio lib. 1. de Oratore, et Quintilianus lib. 3. cap. 1. significant.

Post hunc annum triennium fere vrbem sine armis fuisse, Cicero in Bruto cap. 90. ait: quo, Sulla bellum Mithridaticum gerente, (de quo Plutarchus et Appianus,) Cinnanæ Marianæque partes Italiam obsederunt, vt scribit Velleius lib. II. cap. 24. n. 4.

Anno igitur ab V. C. DCLXVII. *Ciceronis* XXI. coss. *fuerunt,*

C. MARIVS VII. L. CORNELIVS CINNA II.

MARIVS, quem Cicero pro Plancio cap. 21. duabus ædilitatis acceptis repulsis, septies consulem esse factum ait, editis multis sceleribus, Idibus Ianuarii decessit, Liuius lib. LXXX. de eius morte sic Cic. lib. III. cap. 33. de Natura Deor. *Cur Marius tam feliciter septimum consul domi suæ senex est mortuus?* Mario suffectus est L. Valerius Flaccus, pater illius Flacci, pro quo Ciceronis oratio exstat. Huic, cum a Cinna missus, vt Sullæ ad bellum Mithridaticum succederet, in Asiam traiecisset, consuli portas tota Asia clausit: Cicero pro Flacco. cap. 25. Anno sequente idem a C. Fimbria legato suo consularis interfectus est, Velleius lib. II. cap. 24. Liuius lib. LXXXII. Strabo lib. XIII. Hoc anno censores in tabulis Capitolinis inueniuntur, L. Marcius Philippus, M. Perperna, quorum Verrina III. cap. 55. in lege Verris mentio fit ita: *Qui de L. Marcio, M. Perperna censoribus redemerit, eum socium ne ei admittito.* de Marcio item Cicero pro domo cap. 32. ait: *L. Philippus censor auunculum suum præteriit in recitando senatu; nihil enim poterat dicere, quare rata non essent, quæ erant acta in ea Rep. in qua se illis ipsis temporibus censorem esse voluisset.* Hi sunt superiores illi censores, quibus Ar-

chiam

iiam cum L. Lucullo quæstore fuiſſe in Aſia, icero pro Archia cap. 5. ait. Lucullus enim oc tempore quæſtor in Aſia permultos annos mirabili quadam laude provinciæ præfuit, Cic. in Luculli principio ſcribit. Lucul-m vero in Græcia fuiſſe ante, quam Sulla eo eniret, ex Plutarchi Sulla cognoſcitur. Sulla ioque ex Aſia decedente, Lucullus ibi man-, vt infra dicemus.

roximo biennio, quo comprehenditur annus vrbis DCLXIIX. *et* DCLXIX. *Ciceronis* XXII. *et* XXIII. *Conſules a ſe creati Remp. tenuerunt,*

. CORNELIVS CINNA, CN. PAPIRIVS CARBO.

QVa ratione M. Tullius hoc triennium quo vrbs fere ſine armis fuit, traduxerit, ipſe Bruto cap. 90. his verbis exponit. *Ego,* in-iit, *hoc tempore omni nocte eis et dies in omni-n doctrinarum meditatione verſabar. eram m Stoico Diodoto: qui cum habitauiſſet apud e, mecumque vixiſſet, nuper eſt domi meæ ortuus: a quo cum in aliis rebus tum ſtudio-ſime in Dialectica exercebar; quæ quaſi con-acta et aſtricta eloquentia putanda eſt; ſine a etiam tu Brute, iudicauiſti, te illam iu-am eloquentiam, quam dialecticam dilata-m eſſe putant, conſequi non poſſe.* Hacte-is Cicero, qui hunc Diodotum lib. 1. cap. 3. nat. Deor. primo loco numerat inter eos ilosophos, a quibus inſtitutus fuit. de eo-m in Lucullo, cap. 36. *Diodoto quid fa-*

ciam Stoico? quem a puero audiui, qui mecum viuit tot annos, qui habitat apud me, quem et admiror, et diligo. et ep. 16. lib. XIII. Fam. *Domi meæ cum Diodoto, Stoico, homine, meo iudicio, eruditissimo, multum a puero fuit.* eiusdem meminit ep. 4. lib. 9. Fam. de quo loco etsi Hadriani Turnebi, et Petri Rami, præceptorum meorum, quos vt ipsorum dignitas poscit, honoris gratia nomino, sententiæ aliquando nonnihil discreparunt: res tamen ipsa ex vera huius nominis scriptura, quam Victorius, Manutius, et Lambinus, viri doctissimi e vetustis libris ediderunt, iam extra controuersiam est. De eodem Cicero Tuscul. lib. v. cap. 39. *Diodotus Stoicus, cæcus, multos annos nostræ domi vixit, is vero, quod credibile vix esset, cum in philosophia multo etiam magis assidue, quam antea, versaretur; et cum fidibus Pythagoreorum more vteretur; cumque ei libri noctes et dies legerentur: (quibus in studiis oculis non egebat) tum, quod sine oculis fieri posse vix videtur, Geometriæ munus tuebatur, verbis præcipiens discentibus, vnde, quo, quamque lineam ducerent.* Mortuus fuit Cæsare et Bibulo coss. anno ab V. C. DCXCIV. Cornelius Tacitus in dialogo de Oratorib. cap. 30. ait, Ciceronem apud Philonem Academicum, apud Diodotum Stoicum, omnes philosophiæ partes penitus hausisse. Addit Cicero, in Bruto cap. 90. *Huic ego doctori, et eius artibus variis atque multis ita eram tamen deditus, vt ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus esset. commentabar*

:clamitans ſæpe cum M. Piſone, et cum Q. ompeio, aut cum aliquo quotidie; idque faebam multum etiam latine, ſed græce ſa-'us: vel quod græca oratio, plura ornamenta ·ppeditans, conſuetudinem ſimiliter latine icendi afferebat; vel quod a græcis ſummis oċtoribus, niſi græce dicerem, neque corrigi oſſem, neque doceri. Ciceronem ad Prætuam uſque græce declamaſſe, auctor eſt Suetoius de claris Rhetoribus. cap. I. Circa hoc empus Cicero, cum *Aratum* iam Romanum exametris verſibus ediſdiſſet, in Xenophonis *Oeconomico* luſit: vt ſcribit Hieronymus in ræfatione in Euſeb. Chron. Ipſe Cicero libro . extremo de officiis ad filium, viginti an-os natum ita ſcribit: *Has res commodiſſime Xenophon Socraticus perſecutus eſt in eo libro, ui Oeconomicus inſcribitur; quem nos iſta 'ere ætate cum eſſemus, qua es tu nunc, e græo in latinum convertimus.* Diuiſit autem Ci-:ero vnum Xenophontis librum in tres, vt ;eruius in primum Georgicorum teſtatur. Quin etiam libros Platonis Cicero hoc genere ralatos edidit, inquit Fabius lib. x. cap. 5. *Timæi* pars, cum maximo bono ſtudioſorum ıtriuſque linguæ, exſtat. *Protagoram* ab eo :onuerſum fuiſſe, Hieronymi, Priſciani et Donati teſtimoniis tantummodo ſcimus. Id amen Ciceronem potius extremo tempore etatis, quam hoc, feciſſe, putamus. Carbonis in ſecundo conſulatu Quæſtor fuit C. Verres, Cic. Verrina III. cap. 4. et 13. Tum Sulla pace cum Mithridate facta, Aſiam in

quadraginta quatuor regiones distribuit, auctore Cassiodoro. Cum autem Sulla omnes Asiæ ciuitates proportione in prouincias descripsisset; vectigal quoque iis, quod æqualiter penderent, descripsit: Cic. pro Flacco. cap. 14. et ep. 1. lib. 1. ad Qu. fratrem. Sed Sullam in Italiam reuocauit Resp. ait pro lege Manilia cap. 3.

Anno vrbis DCLXX. *Ciceronis* XXIV. COSS. *fuerunt*,

L. CORNELIVS SCIPIO ASIATICVS, C. NORBANVS FLACCVS.

HOrum Consulum meminit Cic. pro Quintio cap. 6. vbi etiam (sc. cap. 7.) C. Valerium Flaccum imperatorem hoc anno in Gallia vlteriore fuisse ait. cuius Flacci mentionem Cæsar lib. 1. cap. 47. de bello Gallico facit. Scipionis Quæstorem M. Pisonem, de quo paullo ante, fuisse, ex Verrina III. cap. 14. cognoscitur. Hoc tempore tumultus ille pro recuperanda Rep. ortus est: de quo Cic. in Bruto. cap. 90. Nam Sulla compositis transmarinis rebus in Italiam venit, et C. Norbanum prælio vicit, de quo diximus in cap. 20. lib. V. Orosii. tum Cn. Pompeius, adolescentulus priuatus, exercitum difficili Reip. tempore confecit, eique præfuit, et rem optime ductu suo gessit: Cic. in Maniliana cap. 21. eodem pertinet illud in Phil. V. cap. 16. *Pompeius ad L. Sullæ maximum imperium, victo-*

rem-

emque exercitum accessit. vide Plutarchum et alios. Sulla vero cum Scipione inter Cales et Theanum, cum alter nobilitatis florem, alter belli socios adhibuisset, de auctoritate senatus, de suffragiis populi, et de iure ciuitatis, legis inter se conditiones contulerunt*; inquit Cicero Phil. XII. cap. 11. sed cum res conuenire non posset, et Sulla Scipionis castra oppugnaturus esset: vniuersus exercitus consulis signa ad Sullam transtulit; Scipio, cum interimi posset, dimissus est. hæc Liuius lib. LXXXV. Itaque Scipio, fluctibus Reip. expulsus, Massiliæ postea in exsilio vixit: Cic. pro Sextio. cap. 3. Hoc anno Capitolium incensum fuit: cuius meminit Cic. in Catil. III. cap. 4. et Dionysius Halicarnasseus lib. IV. Tu lege Plutarchum in Sulla, et August. cap. XXIV. lib. II. de Ciuit. Dei.

Anno vrbis DCLXXI. *Ciceronis* XXV. COSS. *fuerunt*,

CN. PAPIRIVS CARBO III. C. MARIVS C. F.

HORVM consulum mentio est apud Ciceronem contra Rullum. orat. III. cap. 2. Hoc anno, cum a Marianis vrbs etiamnum teneretur, L. Damasippus, prætor, ex voluntate C. Marii, consulis, cum Senatum contraxisset, omnem, quæ in vrbe erat, nobilitatem trucidauit: Liuius lib. LXXXVI. Tunc inter-

C 5 fectus

* Vide cap. 11. vbi vulgo sic legebatur.

fectus fuit C. Carbo consulis frater, de quo Cicero epist. 21. lib. IX. Famil. Periit tum quoque P. Antistius, Cn. Pompeii socer: de quo Cicero in Bruto, cap. 90. et Q. Scæuola pontifex maximus, quem Liuius lib. LXXXVI. scribit in vestibulo ædis Vestæ occisum fuisse. Hinc Cicero libr. III. cap. 32. de Natura Deor. *Temperantiæ, prudentiæque specimen, ante simulacrum Vestæ pontifex max. est Qu. Scæuola trucidatus.* meminit eiusdem lib. III. cap. 3. de Orat. Tandem Sulla, fuso Carbonis exercitu, in vrbem venit, eoque tempore eius immanis crudelitas in ciues exstitit: de qua Cicero lib. II. cap. 8. de officiis, et Orosius libr. V. cap. 21. Tum Cn. Pompeius, in Siciliam cum imperio a Senatu missus, Carbonem consulem captum interfecit: Liuius libr. LXXXIX. Plutarchus in Pompeio, et alii. de quo Cicero epist. 21. lib. IX. Fam. *Hoc vero, qui Lilybæi a Pompeio nostro est interfectus, improbior nemo, meo iudicio, fuit.* atque ita Pompeius Siciliam multis undique cinctam periculis, non terrore belli, sed celeritate consilii, explicauit: Cicero in Maniliana. cap. 11. Eodem tempore L. Licinius Murena, pater eius, quem Cicero defendit, a Sulla cum duabus legionibus in Asia relictus, bellum Mithridaticum renouauit: de quo Appianus in Mithridatico. Murena vero Mithridatem *vehementissime vigilantissimeque vexatum, repressum magna ex parte, non oppressum reliquit*, vt ait Cic. pro Murena. cap. 15. et addit cap. 5. *filium viro fortissimo parenti*

ſuo magno adiumento in periculis, ſolatio in laboribus, gratulationi in victoria fuiſſe. Lucullum autem quæſturæ diuturnum tempus, Murena bellum in Ponto gerente, in Aſiæ pace conſumſiſſe, idem in Lucullo cap. I. ſcribit. Extremo hoc anno Sulla effecit, ab Interrege vt dictator diceretur, ait Cicero ep. 18. lib. IX. ad Att. quomodo id effecerit, copioſe Appianus, et Plutarchus ſcribunt. Interrex fuit L. Valerius Flaccus, de quo Cic. orat. III. cap. 2. contra Rullum: *Omnium legum iniquiſſimam, diſſimillimamque legis eſſe arbitror eam, quam L. Flaccus Interrex de Sulla tulit, vt omnia, quæcunque ille feciſſet, eſſent rata.* de eadem lege lib. I. cap. 15. de legibus: *Nihilo credo magis illa iuſta eſt, quam Interrex noſter tulit, vt Dictator, quem vellet ciuium, indicta cauſa, impune poſſet occidere.* Itaque Sulla Dictator, qui tum ſine dubio habuit regalem poteſtatem, vt eſt in orat. de Haruſp. reſp. cap. 25. omnes, quos oderat, morte multabat: pro Ligario. cap. 4. De proſcriptione Sullana Oroſius noſter cap. 21. lib. V. Etſi autem Sulla dictator poſt C. Marium et Cn. Papirium fuit, vt ait Cicero orat. III. cap. 2. contra Rullum: conſules tamen creari permiſit.

Anno

Anno vrbis DCLXXII. *Ciceronis* XXVI. COSS. *fuerunt.*

M. TVLLIVS DECVLA, CN. CORNELIVS DOLABELLA.

DE his consulibus Cicero orat. II. cap. 14. contra Rullum. *De quibus vendendis S. C. facta sunt M. Tullio, Cn. Cornelio Coss.* Sulla Dictator hoc tempore rebus (legibus) nouis Reip. statum confirmauit, vt est in epitoma Liuiana LXXXIX. Recuperata Rep. et legibus atque iudiciis constitutis, Cicero ad causas et priuatas et publicas adire cœpit, in Bruto. cap. 90. Itaque his consulibus, vt Gellius lib. XV. cap. 28. scribit, M. Cicero causam priuatam pro Quintio apud Aquillium Gallum iudicem dixit. Præterea in Eusebii Chronico ita legitur: XXVI. *anno ætatis Cicero Quintium defendit.* Idem cognoscitur ex ipsa causæ expositione, quæ talis est. Sex. Næuius ante biennium, Scipione et Norbano coss. cum P. Quintius prid. Cal. Febr. in Galliam profectus esset, a P. Burrieno prætore possessionem bonorum Quintii, a quo sibi pecuniam deberi, et vadimonium desertum dicebat, ex edicto postulauit: missus in possessionem Næuius, cum bona absentis Quintii dies XXX. possedisset, ea præscribi iussit. Tum Sex. Alphenus, procurator Quintii, auctionem impedire conatur, seque paratum esse iudicio absentem defendere profitetur. Næuius postulat, vt Alphenus iudicatum solui satisdet: quod cum

ille recusaret, eoque nomine Tribunos appellasset; conuenit, vt Idib. Septemb. Quintium isti Alphenus promitteret. Venit Romam Quintius ad vadimonium. Næuius annum et sex menses, hoc est, ab Idibus Septemb. Scipione et Norbano coss. usque ad Idus Martias huius anni, nihil petit. Tum demum in ius ventum ad P. * Dolabellam Prætorem, ibi Næuius petiit, vt Quintius iudicatum solui satisdaret: quod cum is recusaret, Dolabella decreuit, vt Quintius aut satisdaret, aut sponsionem faceret, Ni bona sua ex edicto possessa non essent. Sponsione facta, C. Aquillius Iudex datus est: apud quem Cicero contendit, Quintii bona ex edicto a Næuio possessa non esse. Vides igitur aperte, Quintii causam hoc anno a M. Tullio defensam esse post Idus Martias. Nam quod Cicero ait rem iacuisse in controversiis biennium: oratorum more elate dictum est. et si quis velit calumniis Næuii rem in biennium ductam fuisse: hoc quidem certe omnes fateri necesse est, post idus Sep. quæ hoc anno, non quæ Sulla et Metello coss. anno insequente fuerunt, [ut Corradus res nescio quas agens scripsit] hanc causam actam esse. Quod vero et Corradus opinatur, et non nemo affirmat, Quintium defensum post Dictatorem Sullam; eo quod Cicero dicat, Emisti bona Sex. Alpheni L. Sulla Dictatore vendente: leve admodum est. cur enim in iudicio priuato hoc eloqui ausus non fuis-

* Cn. vocant meliores.

fuisset? aut quis præstabit, ab Oratoribus omnia dicta, vel eo modo acta fuisse, quo postea scripta sunt et edita?

Sulla dictatore Cicero iterum se Moloni, qui legatus ad senatum de Rhodiorum præmiis venerat, operam dedisse, ait in Bruto. cap 90. Hoc quoque tempore Cn. Pompeius, bello in Africa maximo confecto, victorem exercitum deportauit: ut ait Cicero pro lege Manilia. cap. 21. intelligit autem bellum gestum cum Domitio, et Hierta Numidiæ rege, quo de Orosius libro v. cap. 21. atque ex Africa Pompeius adhuc eques triumphauit. Miror autem Eutropium lib. v. extr. scribere, Pompeium tunc quartum et vigesimum annum egisse: cum M. Tullii æqualis fuerit, vt ex Ciceronis Bruto cap. 68. et Velleio lib. II. cap. 53. notum est, et nos supra ad a. DCXLVII. admonuimus. Eodem tempore L. Sulla Murenam ex Asia reuocauit, vt ait Cic. in Maniliana. cap. 3. Murena reuersus amplissime atque honestissime ex prætura triumphauit: in Orat. pro Murena cap. 7.

Anno igitur ab V. C. DCLXXIII. *Ciceronis* XXVII. COSS. *fuerunt*,

L. CORNELIVS SVLLA FELIX II.
Q. CAECILIVS METELLVS PIVS.

HORVM Consulum meminit Cicero Verrina tertia, cap. 50. et Gellius libro xv. cap. 28. vbi scribit, Ciceronem his consulibus

Sex.

ex. Roſcium parricidii reum defendiſſe: et
ddit, Feneſtellæ errorem notatum fuiſſe a
Pædiano; quod ſcripſiſſet Ciceronem ſexto et
rigeſimo ætatis anno pro Sex. Roſcio dixiſſe.
Quem Feneſtellæ errorem Corradum, alios-
que viros doctos potius amplecti, quam Aſco-
nii et Gellii auctoritatem ſequi, equidem mi-
or: cum præſertim Quintilianus libro XII.
ap. 6. ſcribat, Ciceronem ſex et XX. annos
natum pro Sex. Roſcio dixiſſe; eos vero ante
I. nonas Ianuarii huius anni natus non fuit.
git tamen opinor hanc cauſam in principio
nni. Nam, vt ex oratione ipſa intelligitur,
n lege de proſcriptione erat, vt anno ſuperio-
e ad Kal. Iunias proſcriptiones venditiones-
ue fierent: c. 44. Roſcius autem pater ali-
uot poſt menſes Romæ occiſus eſt, ibid. ea-
ue res quatriduo ad Chryſogonum in caſtra
ullæ Volaterras (quod oppidum obſeſſum
ulla in deditionem accepit. Liuius libr.
XXXIX.) delata eſt. cap. 7. et 37. Bona Roſcii
nunquam proſcripti, ideoque occiſi, (ut Plu-
archus tradit,) Sulla haſtæ ſubiecit, et Chry-
ogonus eius libertus duobus millibus num-
num emit; cum iam proſcriptionis mentio
ulla fieret, cum etiam, qui antea metuerant,
edirent, ac iam defunctos ſeſe periculis arbi-
rarentur, cap. 8. Sed cum filius idemque he-
es Roſcii bona patris ita vendita eſſe ægre fer-
et, eaque ſexagies eſſe demonſtraret: Sulla
argui ſe graviter tulit, et Roſcii filii nomen
pera Chryſogoni de parricidio deferendum
urauit. cap. 10. Cum Roſcii patrocinium
ob

ob Sullæ metum nemo ſuſciperet: adoleſcens ab omnibus deſertus, ad Cic. confugit; quem amici quoque ad reum defendendum cohortabantur, cum aliud ſplendidius aut præclarius gloriæ initium habere non poſſet. Cicero igitur adoleſcens contra L. Sullæ dominantis opes Sex. Roſcium Amerinum defendit. libr. II. cap. 14. de Offic. Defenſionis capita tria ſunt: in primo parricidii crimen falſo obiectum fuiſſe Roſcio, multis argumentis conuincit: ſecundum eſt de audacia duorum Roſciorum, Capitonis et Magni; in quos crimen ita confert, vt eos multis ſuſpicionibus arguat: terrium eſt de Chryſogoni potentia, quam inuidioſe inſectatur. Victor in cauſa, magna in admiratione fuit, vt Plutarchus ait. ipſe vero in Bruto cap. 90. ſic ſcribit: *itaque prima cauſa publ. pro Sex. Roſcio dicta tantum commendationis habuit, vt non vlla eſſet, quæ non noſtro digna patrocinio videretur.* Roſcio contra Chryſogonum defenſo, Ciceronem Athenas ſeceſſiſſe, atque inde poſt triennium Romam reuertiſſe, in Euſebii Chronico ſcriptum eſt. unde illud Caleni apud Dionem lib. XLVI. manaſſe videtur, καίπερ τρία ἐν Ἀθήναις ἔτη κατατρίψας: quibus verbis ſignificat, M. Tullium eloquentiæ gratia triennium Athenis vixiſſe. Et certe, ſi Roſcio defenſo ſtatim in Græciam profectus eſſet, quod Plutarchus quoque putauit; trienníum ibi vixiſſet: iam vero, cum ſecus ipſe in Bruto cap. 91. ſcribat, nos etiam hæc temporibus aliter diuidemus.

My-

Mytilenas hoc tempore in Asia expugnatas
isse, in Liuiana epitoma lib. LXXXIX. scriptum
t. expugnauit eas M. Thermus: in qua ex-
ignatione Iulius Cæsar, auctore Suetonio,
Cæs. cap. 2. corona ciuica donatus est. At-
ie ita vrbs, et natura, et situ, et descriptio-
: ædificiorum, et pulchritudine in primis
bilis, belli lege ac victoriæ iure populi Ro-
ani facta est: Cicero Orat. II. cap. 16. con-
a Rullum.

Anno vrbis DCLXXIV. *Ciceronis* XXVIII. COSS. *fuerunt*,

SERVILIVS VATIA ISAVRICVS, AP. CLAVDIVS PVLCHER.

IOs Consules in hunc annum Sulla contra
voluntatem populi, qui ipsum creabat,
nuntiandos curauit, et Dictatura se abdica-
t: Appianus lib. I. Orosius lib. V. cap. 22.
p. Claudius P. Clodii, inimici Ciceronis,
ter fuit: vnde in Orat. de harusp. respon.
p. I. P. Seruilius collega patris eius nomina-
r. Hoc tempore Cicero, antequam in Græ-
am profectus fuit, Arretinæ mulieris liber-
tem contra Cottam, hominem disertissi-
um, defendit, Sulla adhuc viuo, vt ait pro
ecina. cap. 33. Erat eo tempore in Cicero-
: summa gracilitas, et infirmitas corporis,
ocerum et tenue collum: qui habitus, et
iæ figura non procul abesse putatur a vitæ
riculo, si accedit labor, et laterum magna

contentio. eoque magis, vt ipse in Bruto cap. 91. scribit, hoc eos, quibus erat carus, commouebat; quod omnia sine remissione, sine varietate, vi summa vocis, et totius corporis contentione, dicebat. Itaque cum eum et amici et medici hortarentur, vt causas agere desisteret; ipse autem quoduis periculum adire, quam a sperata dicendi gloria discedere, mallet; censeret tamen, remissione et moderatione vocis, et commutato genere dicendi, se et periculum vitare posse, et temperatius dicere: vt consuetudinem dicendi mutaret, eam sibi causam in Græciam proficiscendi fuisse, ait in Bruto. D. C. Itaque cum esset biennium versatus in causis, Roma est profectus huius anni æstate, vt ex sequentibus cognoscetur. Cum venisset Athenas, sex menseis cum Antiocho veteris Academie nobilissimo et prudentissimo philosopho fuit: studiumque philosophiæ, nunquam intermissum, a primaque adolescentia cultum, et semper auctum, hoc rursus summo auctore et doctore, renouauit; vt ipse in Bruto testatur. ideoque lib. I. cap. 3. de Natura Deor. Antiochum inter eos philosophos numerat, a quibus institutus fuit. de eodem lib. I. de legibus cap. 21. *Vir iste fuit prudens, et acutus, et in suo genere perfectus, mihique, vt scis, familiaris.* Plutarchus quoque in Cicerone a nobis conuerso, ita scribit: *Cum Athenas venisset, Antiocho Ascalonitæ operam dedit: eiusque copia quidem et lepore dicendi delectabatur; sed quæ ab ipso in philosophia nouabantur, ea minime proba-*

babat. iam enim Antiochus a noua Academia defecerat; et relicta Carneadis secta, commutatoque instituto, vel euidentia et sensibus victus, vel, vt nonnulli aiunt, ambitione et contentione cum Philonis et Clitomachi discipulis adductus, Stoicorum decreta fere defendebat. Antiochus igitur, vt Cicero in Lucullo cap. 43. testatur, appellabatur quidem academicus; sed erat, si perpauca mutauisset, germanissimus Stoicus. Didicerat apud Philonem tamdiu, vt constaret diutius didicisse neminem: et scripserat de Academica secta acutissime, eamque non acrius accusauit in senectute, quam antea defensitauerat. Plura in Lucullo Ciceronis, et Plutarchi. Athenis Cicero Epicureos quoque, Phædrum et Zenonem frequenter cum Attico audiuit, vt ait lib. I. cap. 5. de finib. Meminit Tuscul. III. cap. 17. et Acad. I. extr. Hic annus XX. est post M. Antonii et A. Posthumii consulatum: ad quem Lucullorum ædilitas a Plinio lib. VIII. cap. 7. refertur. eam vero magnificentissimam fuisse, Cic. lib. II. cap. 16. de Officiis scribit. Hac ego coniectura ductus, L. Luculli magistratus, quos Cic. initio Luculli recenset, ita constituo, vt hoc anno ædilis; Bruto et Mamerco coss. prætor fuerit; sequenti Africam obtinuerit; atque inde Octauio et Cotta coss. ad consulatus petitionem redierit.

Anno vrbis DCLXXV. *Ciceronis* XXIX. COSS. *fuerunt*,

M. AIMILIVS * LEPIDVS, Q. LVTATIVS CATVLVS.

His consulibus Sulla in agro Cumano mortuus, ac Romam perlatus, cum magna pompa in Campo Martio sepultus est: quod præter ceteros Appianus lib. I. copiose narrat. Primus autem e patriciis Corneliis, Sulla igni voluit cremari: lib. II. cap. 22. de legibus. Post Sullæ mortem dissensio inter consules orta est, cum Lepidus Sullæ acta rescindere tentaret, et Catulus ei resisteret. vide Orosium nostrum lib. V. cap. 22. Hinc Cicero in Catil. III. cap. 10. *Dissensit M. Lepidus a clarissimo et fortissimo viro Q. Catulo; attulit non tam ipsius interitus reip. luctum, quam ceterorum.* Vbi vero M. Tullio de Sullæ morte Athenas allatum est, vt Plutarchus scribit; cum iam corpus eius exercitationibus confirmatum meliore habitu esse cœpisset, et vox ita conformata esset, vt cum auditu suauis ac plena, tum ad corporis constitutionem moderate accommodata esset: motus et precibus litterisque amicorum, quæ Roma frequentes ad ipsum afferebantur, et cohortatione Antiochi, vt rempubl. capesseret, dicendi vim, ceu instrumentum, rursus excoluit, ciuilemque facultatem excitauit. Itaque primum, vt ipse

* Ita miror, cur a Fabricio noluerit retinere Gruterus, etiam seq. anno et sæpius infra.

ipse in Bruto cap. 91. scribit, Athenis apud Demetrium Syrum, veterem et non ignobilem dicendi magistrum, studiose exercebatur. post totam Asiam peragrauit cum summis oratoribus, quibuscum exercebatur ipsis lubentibus: quorum erat princeps Menippus Stratonicensis, quem Plutarchus Menippum Carem nominat, Cicero eum tota Asia illis temporibus disertissimum fuisse iudicat. vnde Strabo lib. XIV. κἀνταῦθα δ' ἀνὴρ ἀξιόλογος γεγένηται ῥήτωρ Μένιππος κατὰ τοὺς πατέρας ἡμῶν, Κατόκας ἐπικαλούμενος, ὃν μάλιστα ἐπαινεῖ τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν ῥητόρων, ὧν ἠκροάσατο, Κικέρων, ὥς φησιν ἔν τινι γραφῇ αὐτοῦ, συγκρίνων Ξενοκλεῖ, καὶ τοῖς καθ' ἐκεῖνον ἀκμάζουσι. id est, *Fuit ibi patrum nostrorum memoria nobilis magister dicendi Menippus cognomento Catocas: quem Cicero ex Asiaticis oratoribus, quos audiuit, maxime laudat, vt est in quodam ipsius libro, vbi eum cum Xenocle, atque illius ætatis oratoribus comparat.* De Xenocle, Adramytteno, cui Cic. quoque operam dedit, idem Strabo lib. XIII. Erat cum Cicerone tum etiam Aeschylus Cnidius, assiduissime autem Dionysius Magnes. quibus non contentus, Rhodum venit, seque ad eundem, quem Romæ ıudiuerat, Molonem applicauit, cum actorem n veris causis, scriptoremque præstantem, um in notandis animadvertendisque vitiis, et ıstituendo docendoque prudentissimum. is edit operam, vt nimis redundantem Oratoem nostrum, et superfluentem iuuenili quaım dicendi impunitate et licentia, reprime-

ret, et quasi extra ripas diffluentem coërceret, auctor ipse in Bruto. De Apollonio Molone, inquit Plutarchus, traditum est memoriæ, eum Latinæ linguæ rudem rogasse Ciceronem, vt græce declamaret. in quo cum ideo illi obtemperasset, quod putaret, se ita melius corrigi posse: ceteri omnes admiratione obstupefacti, certatim de Cicerone, aliusque alio gloriosius prædicabat. Apollonius neque orante Cicerone lætitiam præ se tulit; et cum perorasset, defixus in cogitatione diu sedit: quod vbi Ciceronem ægre ferre sensit, hæc eius vox erupit: *Te equidem, M. Tulli, collaudo et admiror; sed me Græcorum fortuna miseret, cum videam, doctrina et eloquentia laudem, quæ sola nobis reliqua erat, per te ad Romanos translatam esse.* Rhodi Cic. Posidonium Philosophum etiam audiuit, vt Plutarchus scribit. Posidonius enim cum esset Apamiensis e Syria, Rhodi vixit, teste Strabone lib. XIV. Hunc familiarem suum vocat Cic. lib. I. cap. 2. de Finib. Eundem lib. I. de Natura cap. 3. inter eos numerat, a quibus in Philosophia institutus fuit. Præterea in libro de Fato cap. 3. ita scribit: *Quædam etiam Posidonius (pace magistri dixerim) comminisci videtur.*

Anno vrbis DCLXXVI. *Ciceronis* XXX. COSS. *fuerunt*,

D. IVNIVS BRVTVS, MAM. AIMILIVS LEPIDVS LIVIANVS.

HOs Consules ex interregno iniisse, argumento est oratio Philippi apud Sallustium, inter-

inter fragmenta lib. I. histor. de quibus Cicero in Bruto cap. 47. *Iisdem fere temporibus D. Brutus, is qui consul cum Mamerco fuit, homo et Græcis doctus literis et Latinis.* Mamerci Aemilii Lepidi, consulis, meminit Valerius lib. VII. cap. 7. Hoc anno, cum duo consules clarissimi fortissimique essent, Pompeius, adhuc eques, contra Sertorium ad bellum maximum formidolosissimumque, suasu L. Philippi, pro consule missus est. quo quidem tempore cum esset non nemo in senatu, qui diceret, non oportere mitti hominem priuatum pro consule: Philippus dixisse dicitur, *Non se illum sua sententia pro consule, sed pro consulibus mittere.* Cicero in Maniliana c. 21. Idem Philip. XI. cap. 8. *Pompeio Sertorianum bellum a Senatu priuato datum est; cum L. Philippus pro consulibus se eum mittere dixit, non pro consule.* Scribit idem Plutarchus in Pompeio. Comparato exercitu, hosteis, in ceruicibus iam Italiæ agenteis, ab Alpibus in Hispaniam submouit, Galliamque recepit, vt ipse apud Sallustium fragm. lib. III. histor. ad Senatum scribit. Vnde Cicero in Maniliana cap. 11. ait, Pompeium per Galliam legionibus Romanis in Hispaniam iter Gallorum internecione patefecisse.

Hoc quoque anno M. Tullius se recepit e Græcia, biennio post, quam eo profectus erat, non modo exercitatior, sed prope mutatus. nam et contentio nimia vocis resederat, et quasi deferbuerat oratio; lateribusque vires, et corporis mediocris habitus accesserat, vt

ipſe in Bruto c. 91. teſtatur. Cum autem Cicero, auctore Plutarcho, magna ſpe erectus, ad remp. ſummo ſtudio raperetur: ardor eius oraculo quodam repreſſus eſt. Nam cum, Delphos profectus, Apollinem conſuluiſſet, quanam via ad ſummam gloriam peruenire poſſet: oraculum editum eſt, Suam naturam, non multitudinis opinionem, ducem vitæ ſequeretur. Quapropter Romam reverſus, primo timide dixit, et dubitanter ad honores acceſſit: nec vllo in numero habitus; ſed Græculus atque otioſus appellatus fuit, quæ nomina infimis et ſordidis hominibus in promtu eſſe atque in ore conſueuerunt. Vt vero et innata honorum cupiditate ductus, et patris atque amicorum cohortatione incitatus, ſe totum patrociniis tradidit: non iam pedetentim principem locum petiit; ſed ſtatim eluxit, ceteriſque oratoribus longe præſtitit. Hactenus Plutarchus, vt a me ante annos octo conuerſus fuit: ubi, quod Græculum atque otioſum dixi; qui Plutarcho eſt Γραικὸς ϗ σχολαςικὸς, ſecutus ſum auctoritatem noſtri oratoris, qui pro Sextio. cap. 51. *Græculum* inquit, *ſe atque otioſum putari voluit; ſtudio literarum ſe ſubito dedit*. Solent autem Romani vti appellatione Græci probri loco, cum ignobilitatem obiiciunt, vt Zonaras ſcribit.

Anno

Anno urbis DCLXXVII. *Ciceronis* XXXI. COSS. *fuerunt*,

CN. OCTAVIVS, C. SCRIBONIVS CVRIO.

DE his Cicero in Bruto cap. 60. *Cn. Sicinius, cum tribunus pl. Curionem et Octauium consules produxisset, Curioque multa dixisset; sedente Cn. Octauio collega, qui deuinctus erat fasciis, et multis medicamentis propter dolorem artuum delibutus: nunquam*, inquit, *Octaui, collegæ tuo gratiam referes; qui nisi se suo more iactauisset, hodie te istic muscæ comedissent.* Videntur autem consules a Sicinio producti fuisse, cum id egit, vt tribunitia potestas populo redderetur: Asconius in Diuinat. in Verrem. cap. 3. Cn. Octauium, M. filium, optimum atque humanissimum virum, familiarem suum, nominat Cic. lib. II. cap. 28. de finib. His consulibus Cicero, vt ipse in eodem Bruto cap. 92. ostendit, cum vnum annum, reuersus ex Asia, causas nobileis egisset, Quæsturam petiit cum C. Cotta, qui anno insequenti consul fuit, consulatum, Hortensius ædilitatem peteret. Quæstoriis comitiis, quæ Tributa fuisse epist. 31. libro VII. Famil. cognoscitur. Cicero quæstor in primis cunctis suffragiis, est factus. in Orat. in Pisonem c. I. Idem Verrina VII. cap. 14. ait, se ita quæstorem factum fuisse, vt sibi honorem illum tum non solum datum, sed etiam creditum, ac commissum putaret. In causis iis, quas Cicero

ex Aſia reuerſus, ante quæſturam egit, numero orationem pro Q. Roſcio Comœdo: id quod propoſita conſtitutione cauſæ planum faciam. Res igitur, vt ex orationis fragmento colligitur, ita ſe habet. C. Fannius Chærea ſeruum ſuum Panurgum communem cum Roſcio ea lege fecit, vt is a Roſcio arte hiſtrionica inſtitueretur, quæſtusque inter eos communis eſſet. Inſtitutum artificio comico Panurgum Q. Flauius Tarquinienſis quidam interfecit. In hanc rem Fannius cognitor a Roſcio datus fuit, qui Flauium iudicio DAMNI INIVRIA DATI, Roſcii nomine, perſequeretur, non ſecus atque ſi res ſua eſſet. Lite conteſtata, Roſcius ſine Fannio cum Flauio decidit H. S. centum millibus. Deinde C. Piſone teſte et arbitro, Roſcius Fannio pro opera, pro labore, quod cognitor fuiſſet, quod vadimonia obiiſſet, certam pecuniam dedit, hac conditione, vt ſi quid Fannius pro ſua parte ſerui interemti a Flauio exegiſſet, partem eius dimidiam Roſcio diſſolueret. Poſt triennium Fannius, qui diceret, ſe a Flauio nihil abſtuliſſe, Roſcium cum eo de tota re pro ſocietate decidiſſe, Roſcium in ius vocauit, et H. S. quinquaginta millia, dimidiam ſcilicet partem eius pecuniæ, quam Roſcius a Flauio abſtulerat, petiit, et ſponſione Roſcium laceſſiuit, Ni ſibi ille H. S. ıɔɔɔ. deberet. Datus igitur Iudex a Prætore fuit C. Piſo cum hac formula, Si paret Roſcium Fannio H. S. ıɔɔɔ. debere. quod Cicero enumeratione cauſarum debitionis falſum eſſe docet: neque ſocietatis no-

nomine quidquam a Roscio peti posse, probat. Corradus, Ciceronem hanc causam egisse Cn. Pompeio et M. Crasso coss. anno post hanc sexto, inde putat, quod tum C. Piso prætor fuerit. sed fallitur, qui ex Iudice priuato prætorem facit. Falluntur quoque illi, qui Roscium Comœdum ante Amerinum defensum, inde putant, quod post Amerini defensionem Cicero in Græciam statim fuerit profectus. Hoc tempore Q. Roscium fuisse defensum, ex oratione cognoscitur: in qua Roscium Sullano tempore cum Flauio decidisse, et quadriennio post causam actam esse aperte significatur. cap 12. et 13. Hoc anno in Hispania aduersus Sertorium acerrima illa prælia et maxima, Sucronense et Duriense, commissa sunt; quorum meminit Cicero pro Balbo, cap. 2. tu vide Plutarchum in Pompeio.

Anno vrbis DCLXXVIII. *Ciceronis* XXXII. COSS. *fuerunt*,

L. OCTAVIVS, C. AVRELIVS COTTA.

DE his Cicero in Verrem III. cap. 50. *Cum L. Octauius, C. Aurelius Coss. ædes sacras locauissent, neque potuissent omnia sarta tecta exigere, neque ii prætores, quibus erat negotium datum, C. Sacerdos, M. Cæsius: factum est S. C. quibus de sartis tectis cognitum et iudicatum non esset, vti C. Verres, P. Cælius prætores cognoscerent, et iudicarent.* Vbi vi-

vides, C. Sacerdotem, cui Verres in prætura vrbano et Sicilienſi ſucceſſit, hoc anno prætorem vrbanum fuiſſe: qui, cum ſequenti Siciliam obtinuerit, et Cicero ante Verrem Quæſtor in Sicilia fuerit, prætore Sex. Peducæo; ſuſpicionem Corradi, qui Ciceronem hoc anno Quæſtorem vrbanum et inſequenti in Sicilia fuiſſe putauit, falſam eſſe, omnes vident. Hic eſt igitur Sicilienſis annus, qui M. Tullium quæſtorem excepit; vt ipſe in Bruto cap. 92. ſcribit. Cum autem bini quæſtores in Sicilia ſingulis prætoribus eſſent, Lilybætanus et Syracuſanus: Cicero Lilybætanus quæſtor fuit, vt Aſconius in Diuinat. princ. ſcribit, et Cicero ipſe pro Plancio cap. 26. oſtendit. Idem Aſconius ſcribit, Ciceronem Quæſtorem in Sicilia fuiſſe prætore Sex. Peducæo. ipſe vero in orat. poſt reditum in Senatu cap. 8. ait, ſe patri M. Curtii quæſtorem fuiſſe. Accidebat autem ſæpe, vt vnus quæſtor duorum prætorum eſſet, vt Gruchius libr. II. de Comitiis docet. De Quæſtura Ciceronis Plutarchus ita ſcribit: *Quæſtor creatus et ſortitus prouinciam Siciliam, cum in difficultate annonæ, atque inopia rei frumentariæ magnus frumenti numerus Romam eſſet mittendus; Siculos initio offendit: poſt, vbi diligentiam, iuſtitiam et comitatem eius experti fuerunt, maiores illi honores, quam vlli vnquam prætori, tribuerunt.* De eadem ipſe in oratione pro Plancio. cap. 26. *Non vereor, ne quis audeat dicere, vllius in Sicilia quæſturam aut gratiorem, aut clariorem fuiſſe.*

fru-

frumenti in summa caritate maximum numerum miseram: negotiatoribus comis, mercatoribus iustus, municipibus liberalis, sociis abstinens, omnibus eram visus in omni officio diligentissimus; excogitati quidam erant a Siculis honores inauditi. Et in Verr. VII. cap. 14. *Sic obtinui quæsturam in prouincia Sicilia, vt omnium oculos in me vnum coniectos arbitrarer; vt me, quæsturamque meam, quasi in aliquo orbis terræ theatro, versari existimarem; vt omnia semper, quæ iucunda videntur esse, non modo his extraordinariis cupiditatibus, sed etiam ipsi naturæ ac necessitati denegarem.* Idem Verrina II. cap. 12. ait, Siculos in quæstura suæ innocentiæ, abstinentiæque periculum fecisse. Eo tempore, vt Plutarchus scribit, multi Romani adolescentes, claris parentibus atque honesto loco nati, apud Siciliæ prætorem accusati sunt intemperantiæ, et neglectæ disciplinæ militaris; quos Cicero magna commendatione defendit et conseruauit.

Anno vrbis DCLXXIX. *Ciceronis* XXXIII. COSS. *fuerunt*,

L. LICINIVS LVCVLLVS, M. AVRELIVS COTTA.

His Consulibus Cicero, annuo munere quæsturæ expleto, e Sicilia prouincia decessit. Habuit tum orationem Lilybæi, in qua Siculis multa benigne promisit; vt Asconius in argum. Verr. I. scribit. Decedebat autem

ea ſpe, vt ſibi populum Rom. vltro omnia delaturum putaret. ac cum caſu dieb. iis, itineris faciendi cauſa, Puteolos veniſſet: concidit pæne, cum ex eo quidam quæſiſſet, quo die Roma exiſſet, et numquid in ea eſſet noui, quod ipſe pro Plancio cap. 26. narrat, et Plutarchus in vita ſcribit. Cum e Sicilia ſe recepiſſet, iam videbatur facultas illa dicendi eſſe perfecta, et habere maturitatem quandam ſuam; ut ait in Bruto. cap. 92. Fuit hoc anno Tribunus pleb. L. Quintius, homo maxime popularis, et ad inflammandos animos multitudinis accommodatus: qui conciones quotidie ſeditioſas et turbulentas habebat. Cicero pro Cluentio. cap. 28. 29. 34. et 37. Hunc acta Sullæ reſcindere, ac reipublicæ ſtatum mouere et perturbare conantem, Lucullus conſul ab incepto deduxit, auctore Plutarcho in Lucullo. Hinc Macer apud Salluſtium: fragm. lib. III. hiſt. *Lucullus quantis animis ierit in L. Quintium, vidiſtis.* Idem Quintius patronus fuit Oppianici, qui hoc anno, Verre prætore vrbano, condemnatus eſt: Cicero pro Cluentio, cap. 33. et Aſconius in Verrin. II. cap. 1. et 10. Verrem his conſulibus prætorem vrbanum fuiſſe, cognoſcitur etiam Verrina ſeptima, cap. 13. vbi Cicero: *Nemo* inquit, *tam ruſticanus homo, L. Lucullo et M. Cotta Coss. Romam ex vllo municipio vadimonii cauſa venit, quin ſciret, iura omnia populi Romani nutu atque arbitrio Chelidonis meretriculæ gubernati.*

Hoc etiam tempore M. Antonius, gratia Cot-

Cottæ consulis et Cethegi factione in senatu, curationem nactus totius oræ maritimæ, Siciliam et prouincias omnes depopulatus est; et ad extremum inferens Cretensibus bellum, re male gesta, morbo interiit: Asconius in Verr. IV. cap. 3. Liuius lib. XCVII. Florus libro III. capite 7. Meminit Velleius lib. II. cap. 31. et Cicero Verr. IV. cap. 13. Vbi M. Antonii infinitum imperium dicit. Hic Antonius pater fuit M. Antonii Triumviri, qui in Plutarchi Antonio κρητικὸς mendose pro Κρητικὸς nominatur. Tum quoque Metellus et Pompeius in Hispania ab obsidione Calagurii oppidi depulsi, coacti fuerunt diuersas regiones pétere; Metellus vlteriorem Hispaniam, Pompeius Galliam, auctore Liuio libr. XCIII. Itaque tum exercitus Pompeii hiemauit in Gallia, cum M. Fonteius prætor eam prouinciam obtineret: vt Cicero pro Fonteio cap. 3. ostendit.

Anno vrbis DCLXXX. *Ciceronis* XXXIV. COSS. *fuerunt*,

M. TERENTIVS VARRO LVCVLLVS, C. CASSIVS VARVS.

DE his Cicero pro Cluentio cap. 49. *Sed quæro a vobis, num istam legem ex isto S. C. L. Lucullus consul, homo sapientissimus, tulerit? num anno post M. Lucullus et C. Cassius?* Eosdem Verrina tertia, cap. 23. M. Terentium et C. Cassium nominat, a quibus lex frumentaria Terentia et Cassia lata fuit: de qua

qua Cicero Verrina v. cap. 70. et VII. cap. 21. fuit enim M. Lucullus, frater L. Luculli, in Terentiorum familiam adoptatus. Eidem Macedoniam euenisse, Eutropius lib. VI. cap. 6. scribit. Hinc Cicero in Verr. IV. cap. 8. *Dixit hoc idem M. Lucullus, se de his Dionis incommodis, pro hospitio, quod sibi cum eo esset, iam ante cognosse. Quid Lucullus, qui tum in Macedonia fuit, melius hæc cognouit, quam tu, Hortensi, qui Romæ fuisti:* Hoc anno bellum in Italia a gladiatorib. duce Spartaco, excitatum est; quod Cicero in Maniliana cap. 10. seq. Seruile vocat. de quo scripsi in ult. cap. lib. v. Orosii. Eodem tempore L. Lucullus, qui consul anno superiore contra Mithridatem profectus erat, ad Cyzicum vrbem, exercitum eius fame ferroque deleuit, auctore Liuio libr. XCV. Nam cum totius impetus belli ad Cyzicenorum mœnia constitisset, eamque vrbem sibi Mithridates Asiæ ianuam fore putauisset, qua effracta et reuulsa, tota pateret prouincia: perfecta ab Lucullo hæc sunt omnia, vt vrbs fidelissimorum sociorum defenderetur, vt omnes copiæ regis diuturnitate obsidionis consumerentur; ait Cicero pro Murena. cap. 15. eandem rem pro lege Manilia cap. 8. et pro Archia cap. 9. commemorat.

Anno

Anno vrbis DCLXXXI. *Ciceronis* XXXV. COSS. *fuerunt*,

L. GELLIVS POPLICOLA, CN. CORNELIVS LENTVLVS CLODIANVS.

DE his Cicero in Verr. IV. cap. 39. *Itaque in Senatu continuo Cn. Lentulus*, *et L. Gellius* [*Lucullus* impressi libri Ciceronis mendose habent, cum, *L. Gellius* in vetustis recte legatur] *Consules faciunt mentionem*, *placere*, *statui*, *si Patribus conscriptis videretur*, *ne absentes homines in prouinciis rei fierent rerum capitalium*. Iidem in orat. pro Balbo aliquoties nominantur. In quarta vero in Verrem: cap. 41. M. Lollium Palicanum Tribunum pleb. hoc anno fuisse, cognoscimus: quem laborasse, vt Tribunitia potestas populo restitueretur, Asconius in Verrinam I. cap. 3. scribit. De eodem Cicero in Bruto. cap. 62. *Aptior*, inquit, *etiam Palicanus auribus imperitorum*. Hoc anno Lucullus, Mithridatem in Pontum persecutus, eum legionibus Romanis patefecit, qui ante populo Rom. ex omni aditu clausus fuerat: vt ait Cicero pro lege Manilia, cap. 8. et pro Archia. cap. 9.

Anno vrbis DCLXXXI. *Ciceronis* XXXVI. COSS. *fuerunt*,

C. AVFIDIVS ORESTES, P. CORNELIVS LENTVLVS SVRA.

ORESTES gentis Aureliæ cognomen est: sed hic Orestes a Cn. Aufidio adoptatus, vt

Cicero pro domo cap. 13. ait, Cn. Aufidius Orestes dictus fuit. Cn. Oresten, cum Tribunus pleb. esse non potuisset, consulem factum, ait Cicero pro Plancio. cap. 21. Idem prætor vrbanus fuit anno vrbis DCLXXVI. vt ex Valerio lib. VII. cap. 7. apparet. P. Lentulus cum Catilina coniurauit, atque a Cicerone Consule in carcere strangulatus fuit; vt inferius dicemus. Vnde Suræ cognomen inuenerit, Plutarchus in Cicerone hoc modo exponit: *Cum Sullanis temporibus quæstor magnam vim pecuniæ publicæ consumsisset atque perdidisset, Sulla id ægre ferens, rationem ab eo in Senatu exegit. tum ille negligenter et cum contemtu progressus, rationem se redditurum negauit; suram autem præbiturum, ita vt pueri consueuissent, cum in pilæ lusione deliquissent. Hinc Sura cognominatus fuit. sura enim Romanis est ea, quæ Græcis κνήμη dicitur.* Hactenus Plutarchus. Bellum seruile iam tertium annum cum Spartaco gerebatur: cum M. Crasso prætori id mandatum, et sex mensibus confectum fuit, vt Appianus libro primo extremo scribit. itaque Crasso tum permissum, Plutarchus ait, vt ouans vrbem iniret. Hinc Cicero in Pisonem: cap. 24. *Crasse, pudet me tui. quid est, quod confecto formidolosissimo bello, coronam illam lauream tibi tantopere decerni volueris a senatu?* Exercitum eodem tempore ex Hispania in Italiam Pompeius reduxit, et quinque millia fugitiuorum, qui e prælio aufugerant, interfecit, atque ad senatum, auctore Plutarcho, scripsit:

Craf-

Crassum acie gladiatores fudisse, se bellum radicitus sustulisse. Hinc Cicero in Maniliana cap. 11. *Testis est iterum et sæpius Italia, quæ cum seruili bello tetro periculosoque premeretur, ab hoc auxilium absente expetiuit: quod bellum exspectatione Pompeii attenuatum atque imminutum est, aduentu sublatum ac sepultum.* Huius belli confecti gloriam Cicero pro Sextio cap. 31. quoque ad Pompeium his verbis transfert: *Qui etiam seruitia virtute victoriaque domuisset.* Vltimo huius anni die, pridie quam consulatum iniret, Pompeius, etiamnum eques Romanus, ex Hispania procos. triumphauit: vt Velleius libro II. cap. 30. scribit. de quo triumpho Cicero pro lege Manilia: cap. 21. *Quid tam incredibile, quam vt iterum eques Romanus ex Senatusconsulto triumpharet?*

Anno vrbis DCLXXXIII. *Ciceronis* XXXVII. COSS. *fuerunt*,

M. LICINIVS CRASSVS, CN. POMPEIVS MAGNVS.

POMPEIVM ex S. C. legibus solutum, consulem ante factum, quam vllum alium magistratum per leges capere licuisset, Cicero in Maniliana cap. 21. testatur. Numerus de ætate Pompeii apud Appianum, mendo caret: respicit enim tempus anni superioris, quo Pompeius ante natalem suum consulatum petiuit. M. Tullius iam post quæsturam in pluri-

mis caufis, et in principibus patronis quinquennium fere verfatus erat; vt ipfe in Bruto cap. 92. fcribit: fuitque in admiratione, quod ab iis, quorum caufas agebat, nulla dona aut munera, auctore Plutarcho, accipiebat. In iis caufis fortaffe fuerunt M. Tullii, et L. Vareni, quas Ciceronem fcriptas edidiffe, teftimonio Quintiliani et Prifciani cognofcitur. In primis autem, vt Plutarchus ait, Cicero enituit, cum C. Verrem hoc anno in iudicium vocauit. nam in patrocinio Sicilienfi maxime in certamen venit defignatus ædilis, cum defignato confule Hortenfio; quod ipfe in Bruto fcribit. Tenuerat Verres ex prætura Siciliam prouinciam per triennium, atque in ea fuerat libidinofe, auare, crudeliterque verfatus. quare, cum tandem hoc anno L. Metellus ei fuccederet, repetundarum reus a Siculis poftulatus eft: qui omnes, præter Syracufanos et Mamertinos, M. Tullium, illo tempore florentem defenfionibus amicorum, ad accufandum defcendere compulerunt, iam pridem illis neceffitudine copulatum; quod quæftor in Sicilia fuiffet, et decedens multa iis benigne promififfet, vt Afconius in argum. Verrin. I. ait. Natus iam erat Cicero annos XXXVI. quod tempus legitimum erat ædilitatis petendæ. Certe P. Scipio Africanus minor, cum annos natus XXXVI. ædilitatem peteret, conful a populo dictus eft, Liuius l. L. Velleius l. I. cap. 12. Aedilitatem igitur fuo anno petens Cicero, prior defignatus eft cunctis fuffragiis populi: in Orat. in Pifonem cap. I. Sufcepto pa-

patrocinio Siciliensi, exstitit Q. Cæcilius Niger, domo Siculus, vt Asconius arg. Verr. I. scribit; Plutarchus ait, hominem libertinum fuisse, et Iudaicæ religioni obnoxium. vnde Cicero in eum dixit, *Quid Judæo cum Verre?* Romani autem porcum non castratum, Verrem nominant. in Plutarchi libris, in quibus legitur, Βέῤῥην οἱ Ῥωμαῖοι τὸν ἐκτετμημένον χοῖρον καλοῦσι, negatio deest, et restitui debet, τὸν μὴ ἐκτετμημένον. alioqui falsum esset, quod Plutarchus scribit, idque duos interpretes, viros doctissimos, non animaduertisse miror. Cæcilius igitur contendebat, se potius accusatorem constitui oportere, has afferens caussas: vnam, quod a Verre læsus, iure illi inimicus esset; alteram, quod, cum quæstor eius fuisset, crimina sciret; tertiam quod Siculus pro Siculis ageret. Hinc, quia in publicis quæstionibus, vt est libr. I. cap. 12. ad Herennium, legibus cauetur, vt ante, si reo commodum sit, iudicium de accusatore fiat, vtrum illi liceat accusare, necne: diuinatio accusatorum Ciceronis et Cæcilii facta est. tum Cicero primam Verrinam de accusatore constituendo dixit: in qua hac vsus est diuisione. spectandum, a quo maxime agi velint ii, quorum de vltione quæritur; a quo minime velit is, qui accusatur. auctor Quintilianus lib. VII. cap. 5. Victo Cæcilio, et accusatione ad se delata, Cicero, cum inquisitionis tempus in Siciliam postulasset dies cx. et cum L. Tullio fratre patruele totam prouinciam colligendis literis in Verrem, et denuntiandis

testimoniis, peragrasset diebus quinquaginta: Romam reuersus, cum videret id agi, ut a M. Glabrione prætore, et ab iis iudicibus, qui tunc erant, ad alium annum aliumque prætorem res tota transiret, eriperetur que sibi reus patrocinio Hortensii ac Metelli, qui tunc Consules futuri erant; hoc commentus est rationis, vt orationem longam prætermitteret, neque in criminibus declamatione cumulandis tempus absumeret, sed tantummodo citaret testes ad vnumquodque crimen expositum, et eos Hortensio interrogandos daret, inquit Asconius arg. Verr. II. Vnde Quintilianus libr. VI. cap. 6. *Cicero summo consilio videtur in Verrem vel contrahere tempora dicendi maluisse; quam in eum annum, quo erat Q. Hortensius consul futurus, incidere.* Consilium suum ipse Cicero Verrina secunda copiose exponit; quæ præterea exhortationem continet iudicum ad vere iudicandum: minæ quoque in aduersarios diriguntur, omnia tentantes ad corrumpendum iudicium. qua oratione ipse Verrina tertia cap. 7. hoc se assecutum fuisse ait, vt vna hora, qua cœpit dicere, reo spem iudicii corrumpendi præcideret. primo autem die magno testium numero citato, alter dies amicis Verris et defensoribus non modo spem victoriæ, sed etiam voluntatem defensionis abstulit. nam, vt Asconius scribit, arte Ciceronis ita est fatigatus Hortensius, vt nihil, contra quod diceret, inueniret. *Itaque nobis*, vt Cicero in Oratore, cap. 37. *pro familiari reo summus orator non respondit Horten-*

tensius. dicendi enim facultatem Cicero Hortensio nullam dedit nihil ipse dicendo, ait Asconius. et Plutarchus, τοῦτον εἷλεν οὐκ εἰπών, ἀλλ' ἐξ αὐτοῦ τρόπον τινὰ τοῦ μὴ εἰπεῖν, vbi aliquando ἐξ αὐτοῦ corruptum esse, atque pro eo ἐξευρών commodius legi posse, putaui. sed Adrianus Turnebus (cuius nomen, vt magistri de me optime meriti, mihi nunquam nisi honoris causa vsurpandum est) anno superiore literis significauit, τρόπον τινὰ ἐξ αὐτοῦ τοῦ μὴ εἰπεῖν, esse *quodam modo abdicata eloquentia.* Hæc prima actio, cuius quasi procemium tantum literis mandatum est, quæ Verrina secunda numeratur, nouem diebus transacta est, Verrina tertia: eaque Verres conuictus sua sponte in exsulium decessit, Asconius; in quo exsulio illum consenuisse, donec a Triumviris post Ciceronis mortem proscriptus periit, auctor est Lactantius lib. II. cap. 4. et Seneca in Suasoriis libr. I. Proscriptum Verrem ab Antonio traditur, quod Corinthiis se ei cessurum negauisset: Plin. lib. XXXIV. cap. 2. Reliquas Verrinas quinque Cicero non dixit: sed, cum vellet omnem vim et rationem accusandi in vno reo ostendere, quinque hos libros domi scriptos edidit; quos pro qualitate criminum diuidens, anteactis vnum dedit, crimini repetundarum quatuor, vnum de iure dicundo, alterum de re frumentaria, tertium de signis, quartum de suppliciis, Asconius. Hi sunt quinque contra Verrem *secundæ actionis* libri, de quibus Fabius lib. XI. cap. 2. med. et Tacitus in dialogo de Oratoribus cap. 20.

Cicero etiam in Oratore cap. 62. Verrinam sextam *quartum Accusationis* appellat. Itaque in primo accusationis libro, quæ est Verrina tertia, Cicero anteacta, id est, ea crimina, quæ Verres ante præturam Siciliensem in quæstura, legatione, et *pratura vrbana* commisit, exponit. In secundo Accusationis libro, quæ est Verrina quarta, explicantur crimina *in Sicilia*, in iure dicundo commissa. Tertius liber est de frumenti criminibus, eaque oratio *frumentaria* a veteribus Grammaticis nominatur. Quartus liber, seu Verrina sexta, est *de signis*. Quintus et ultimus *de suppliciis*. Verre damnato, vt Plutarchus tradit, cum Cicero litem ei tricies H-S. æstimasset: male audiuit, quasi pecunia accepta, de multa remisisset. Apud Plutarchum ἑξδομήκοντα πέντε μυριάδες, est tricies sestertium: siquidem εἴκοσι πέντε μυριάδες est, decies H-S. vt idem in Antonio testatur. Verum Budæus in libris de Asse et in Commentariis censet in Plutarchi libris verbum τριακοσίων, aut aliud deesse. Sestertium quadringenties a Verre tantum repetitum esse, Asconius scribit. His coss. tribuniciam potestatem restitutam esse, Sallustius in Catil. cap. 38. scribit; idem est in epitoma lib. XCVII. Liu. apud Velleium lib. II. cap. 30. et Plutarchum in Pompeio. Hinc Q. Cicero lib. III. cap. 9. de legibus ait: *Pompeium nostrum ceteris rebus omnibus semper amplissimis summisque effero laudibus; de tribunicia potestate taceo; nec enim reprehendere libet, nec laudare possum.* Post iudicia

a Sul-

a Sulla constituta, senatus iam ex lege Cornelia per decem annos turpiter iudicauerat; ita vt iudiciorum leuitate ordo quoque alius ad res iudicandas postularetur. hoc igitur anno L. Aurelius Cotta, prætor, legem ad populum tulit, vt senatores cum equitibus et tribunis ærariis iudicarent. Cicero Verrina prima, cap. 3. et Asconius in eandem. Liuius lib. XCVII. et Velleius lib. II. cap. 32. Eodem anno Censores fuerunt Gellius Poplicola, et Cn. Cornelius Lentulus: de quibus Cicero pro Cluentio. cap. 42. Lentuli censoris meminit etiam Verrina septima. cap. 7. pro Flacco cap. 19. et pro domo. cap. 47.

Anno vrbis DCLXXXIV. *Ciceronis* XXXVIII. COSS. *fuerunt*,

Q. HORTENSIVS, Q. CAECILIVS METELLVS CRETICVS.

DE his consulibus Cicero pro Cluentio: cap. 64. *Tum interim, Hortensio Metello Coss. vt hunc Oppianicum, aliud agentem, ac nihil eiusmodi cogitantem, ad hanc accusationem detraheret, inuito despondit ei filiam suam.* Hoc anno Cicero ædilis curulis fuit. ædiles autem ἀφ' ἑνὸς ὧν πράττουσιν ἔργων, ἱερῶν τόπων ἐπιμεληταὶ καλοῦνται, id est, ab una parte sui muneris quasi curatores ædium dicti sunt, Dionysius Halicarnassæus lib. VI. vbi addit eos a Græcis ἀγορανόμους dici, quod magnam illis partem similes sunt. de ædilitate

E 5 sua

sua Cicero Verrina septima cap. 47. ita scribit: *Nunc sum designatus ædilis: habeo rationem, quid a populo Rom. acceperim; mihi ludos sanctissimos maxima cum cærimonia Cereri, Libero, Liberæque faciendos; mihi Floram matrem populo plebique Rom. ludorum celebritate placandam; mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate ac religione Ioui, Iunoni, Mineruæque esse faciundos; mihi sacrarum ædium procurationem, mihi totam vrbem tuendam esse commissam; ob earum rerum laborem et solicitudinem fructus illos datos, antiquiorem in senatu sententiæ dicendæ locum, togam prætextam, sellam curulem, ius imaginis ad memoriam posteritatemque prodendam.* Hinc etiam pro Murena, cap. 19. se ædilem trinos ludos fecisse, ait. Idem libr. II. cap. 17. de officiis, pro amplitudine honorum, quos cunctis suffragiis adeptus esset suo anno, exiguum sumtum ædilitatis suæ fuisse tradit. Aduexerunt tum et attulerunt Siculi multa ex insula ad Ciceronem ædilem: quorum ille nihil in suum quæstum contulit; tantum liberalitate hominum ad annonam leuandam vsus est, auctore Plutarcho. Collega Ciceronis in ædilitate fuit M. Cæsonius, vt ipse Verrina secunda, cap. 10. et Asconius in eum locum testantur. Scio Paullum Manutium in Asconium scribere, hunc magistratum cum Tullio non Cæsonium, sed C. Antonium gessisse. verum vnde id didicerit, equidem ignoro. Hoc anno Lucullus vrbem ex Tigranis regno cepit,

cu-

cuius meminit in Maniliana cap. 9. Cicero. Cum enim pridie nonas Octobris magnum numerum hostium exigua manu ad Tigrano certam vicisset, deinde vrbem cepit. Plutarchus in Lucullo. Dio libro XXXV. Eodem anno M. Puppius Piso de Hispanis triumphauit. Cicero in Pisonem, cap. 26. et Asconius. His quoque consulibus * templum Iouis in Capitolio, quod incendio consumtum ac refectum erat, a Q. Catulo dedicatum est, Cassiodorus et Liuius lib. XCVIII. Tacitus Hist. lib. III. cap. 72. Plinius lib. VII. cap. 43. Cicero etiam Verrina sexta cap. 31. Q. Catulum appellans, Capitolium magnificentius esse restitutum, quam fuerit, ait. Circa idem tempus M. Tullius pro Fonteio dixisse videtur. Tenuerat is prouinciam Galliam prætor per triennium, vt supra ad annum DCLXXIX. annotaui. Reuersus autem Romam, repetundarum reus factus est a Gallis: quod Fonteio prætore oppressa ære alieno prouincia fuisset; quæstum ipse ex viarum munitione fecisset, et portorium vini instituisset. Accusauit eum M. Plætorius, subscriptore M. Fabio: defendit M. Cicero circa hoc tempus, cum iam equites cum senatoribus ex lege Aurelia iudicarent, quod orationis verba ostendunt. vid. cap. 12. Sequitur oratio pro A. Cæcina: cuius tempus incertum, argumentum vero tale est. M. Fulcinius, Tarquiniensis, Cæsenniæ vxori moriens, vsum-

* Addenda, quæ de hoc templo & Catulo disputat Valesius ad Ammian. Marcell. XIV. VI. pag. 34.

vſumfrüctum omnium bonorum ſuorum legauit, vt frueretur una cum filio herede inſtituto. Filio mortuo, et auctione bonorum conſtituta, Cæſennia fundum ex iis bonis emere de ſententia amicorum conſtituit. Idque negotium Sex. Aebutio dedit. cui fundus, pecunia Cæſenniæ emptus, fuit addictus. Cæſennia cum non multo poſt A. Cæcinæ nupſiſſet, eumque heredem feciſſet, deceſſit. Tum Aebutius fundum illum, quem mandato Cæſenniæ emerat, ſuum eſſe dixit. Itaque conſtitutum fuit, quo die in rem præſentem veniretur, vt cum Cæcina de fundo eſſet deiectus, interdictum a prætore poſtularet. Verum Aebutius fundo occupato, Cæcinam in eum ingredi conantem, coactis armatisque hominibus per vim aditu ingreſſuque prohibuit. Repulſus Cæcina, interdictum de armatis hominibus a Dolabella prætore impetrauit; vt vnde deiectus eſſet, eo reſtitueretur. Aebutius reſtituiſſe ſe dixit: in eamque rem ſponſio facta eſt. de qua Recuperatores, a prætore dati, cognouerunt. Tota quæſtio definitionis eſt, An interdicto de vi teneatur etiam is, qui non deiecit de fundo, ſed ab eius ingreſſu prohibuit? de qua re Cicero in Oratore: cap. 29. *Tota mihi cauſa pro Cæcina de verbis interdicti fuit: res involutas definiendo explicauimus, ius ciuile laudauimus, verba ambigua diſtinximus.*

Anno

Anno vrbis DCLXXXV. *Ciceronis* XXXIX. COSS. *fuerunt*,

L. CAECILIVS METELLVS, Q. MARCIVS REX.

DE his consulibus Cicero in Pisonem: cap. 4. *Aude nunc o furia de tuo dicere, cuius fuit initium ludi compitalicii, tum primum facti post L. Metellum et Q. Marcium Coss. contra auctoritatem huius ordinis.* Ita enim recte Paulus Manutius nomina mendosa restituit. Idem Manutius hoc anno epistolam 4. libr. 1. ad Atticum scriptam putat: in qua de L. Ciceronis morte agit. Hoc anno P. Clodius Luculli exercitum in Nisibis vrbis obsidione sollicitauit, auctore Dione lib. XXXV. vnde Cicero de Haruspicum resp. cap. 20. *Post exercitu L. Luculli sollicitato, fugit illinc.*

Anno vrbis DCLXXXVI. *Ciceronis* XL. COSS. *fuerunt*,

C. CALPVRNIVS PISO, M. ACILIVS GLABRIO.

HI consules nominantur a Cicerone lib. XII. ep. 22. ad Att. et Philippica secunda, cap. 5. quibus C. Triarius, legatus Luculli, a Mithridate victus fuit, vt Dio, Plutarchus et Appianus scribunt: qui addunt, cecidisse tum centuriones CL. tribunos XXIV. et castra Romanorum a Mithridate capta fuisse. Hæc

est

est illa calamitas, quam Cicero in Maniliana cap. 9. tantam fuisse ait, *vt eam ad aures L. Luculli imperatoris non ex prælio nuncius, sed ex sermone rumor afferret. hic in ipso illo malo, grauissimaque belli offensione L. Lucullus, qui tamen aliqua ex parte iis incommodis mederi fortasse potuisset, vestro iussu coactus, quod imperii diuturnitati modum statuendum veteri exemplo putauistis, partem militum, qui iam stipendiis confectis erant, dimisit, partem Glabrioni tradidit.* hactenus Cicero. Confectis stipendiis erant milites Valeriani, ὀυαλέριοι οἱ τῆς στρατείας ἀφεθέντες, vt Dio loquitur: qui addit, turbam etiam tum factam, cum milites Acilium consulem, qui, vt Lucullo succederet, missus erat, aduentare audiuerunt. atque Acilius Glabrio est, quem Cicero in Maniliana Lucullo successisse ait. Huc pertinent verba illa Sallustii, quæ ex lib. v. histor. apud Priscianum lib. XVIII. leguntur: *Legiones Valerianas, comperto, lege Gabinia Bithyniam et Pontum consuli datam, se missos esse.* Fuit enim hoc anno tribunus pl. A. Gabinius: qui, cum piratæ non solum maria, verum etiam oras maritimas, suis latrociniis infestas redderent, vt præter historicos Cicero in Maniliana cap. 11. ait; de vno imperatore contra prædones constituendo legem initio sui tribunatus promulgauit. vnde idem post reditum in senatu cap. 5. de Gabinio: *Qui in magistratu*, inquit, *nisi rogationem de piratico bello tulisset, profecto et egestate et improbitate coactus, piraticam ipse*

ipse fecisset. Tum Hortensius in senatu contra Gabinium grauiter ornateque dixit. Q. Catulus cum ex populo Rom. quæreret, si in vno Pompeio omnia ponerent, si quid eo factum esset, in quo spem essent habituri: cœpit magnum suæ virtutis fructum ac dignitatis, cum omnes una prope voce, in eo ipso se spem habituros esse dixerunt. hæc Cicero pro lege Manilia. cap. 20. vbi cap. 12. extr. ait etiam, Pompeium hoc bellum piraticum, quod ipse cum Sallustio maritimum nominat, extrema hieme apparasse, ineunte vere suscepisse, media æstate confecisse. Inter Gabinii collegas fuit L. Roscius Otho, quem Cicero pro Murena cap. 19. ait restituisse equestri ordini non solum dignitatem, sed etiam voluptatem. Tulit enim hoc anno tribunus pleb. legem, vt equitibus Rom. in theatro quatuordecim gradus proximi assignarentur: auctor Liuius lib. XCIX. et Dio libro XXXVI. de eadem lege Asconius in Cornelianam ita scribit: *Roscia est, qua L. Roscius Otho biennio ante confirmauit, vt in theatro equitibus Romanis* XIV. *ordines spectandi gratia darentur.* Meminit eiusdem Tacitus libr. XV. cap. 32. Horatius in Epodo 4. et epist. lib. 1. ep. 1. v. 62. et Iuvenalis satyr. III. v. 159. et sat. XIV. v. 324. Tu vide Xylandrum in Annotationibus in Plutarchi Ciceronem; in quas ea transtulit, quæ ante biennium ad ipsum pro nostra amicitia miseram. Eodem anno, cum magnus ambitus esset, C. Cornelius tribunus pleb. is, qui biennio post maiestatis reus a Cicerone defen-

sus

ſus eſt, legem de ambitu tulit: in qua grauiſſimis pœnis crimen hoc ſanxit. quare ſenatus conſulibus mandauit, vt huic rei moderarentur: qui tum legem tulerunt, auctore Dione, vt eorum, qui ambitus conuicti eſſent, nemini, aut magiſtratum gerere, aut in ſenatu eſſe, liceret, addita etiam multa pecuniaria. Hæc eſt lex Calpurnia de ambitu, quam ſeueriſſime ſcriptam fuiſſe, Cicero pro Murena cap. 23. ait. Indicta erant tum comitia, ante quæ, vt Dio ſcribit, nihil ſciſcere licebat: ſed, cum interim candidati multa nefaria facerent, cædesque fierent, ſenatus decreuit, vt, antequam lex de ambitu lata eſſet, comitia ne haberentur, et conſulibus præſidium daretur. excitauit etiam turbas Cornelius, vt Dio et Aſconius ſcribunt: ob quas cum dilata comitia eſſent, Cicero ter prætor primus centuriis cunctis renunciatus eſt, vt ipſe in Maniliana cap. 1. teſtatur. Licebat autem ei præturam petere hoc tempore biennio poſt ædilitatem. vide epiſt. 25. lib. x. Fam. in præturæ petitione competitores illuſtres multos cum haberet, prætor primus deſignatus eſt, auctore Plutarcho. ipſe præterea in Bruto, ſe et prætorem primum, et incredibili populi voluntate, eſſe factum ait. cap. 93. idem in Piſonem cap. 1. confirmat. Cicero igitur prætor primus, id eſt primo loco factus fuit ex octo illis, qui tum fiebant. Prætores cum Cicerone deſignati ſeptem hi fuerunt, Q. Voconius Naſo, M. Plætorius, C. Flaminius, C. Orchinius, C. Aquillius Gallus, P. Caſſius, et C. Antonius:

Cice-

Cicero pro Cluentio, cap. 34. et 53. et Asconius. De comitiis prætoriis agit Cicero epistola 8. et 9. lib. I. Att. quæ hoc anno scriptæ fuerunt. in nona, candidatos omnibus iniquitatibus exercitos fuisse, testatur. Extremo huius anni mense, a. d. IV. Id. Decemb. (quem diem Trib. pleb. ineundo magistratui sollennem fuisse, ex Liuio lib. V. cap. 9. et Dionysio lib. VI. cap. 89. patet) C. Manilius tribunatu inito, post pauculos dies subnixus libertinorum et seruorum manu legem tulit, vt libertinis in omnibus tribubus suffragium esset, auctor Asconius in Cornelianam et Milonianam. atque hoc Dio lib. XXXVI. ita scribit τῷ ἔθνει τῷ τῶν ἀπελευθέρων ἔν τε τῇ ἐσχάτῃ τοῦ ἔτους ἡμέρᾳ, καὶ πρὸς ἑσπέραν, παρασκευάσας τινὰς ἐκ τοῦ ὁμίλου, ψηφίσασθαι μετὰ τῶν ἐξελευθερωσάντων σφᾶς ἔδωκεν. quorum verborum sententia, a docto interprete non satis bene expressa, hæc est: *Manilius libertinis extremo anni die sub vesperam, comparatis nonnullis e multitudine, lege lata dedit, vt cum patronis suis suffragia ferrent.*

Anno vrbis DCLXXXVII. *Ciceronis* XLI. COSS. *fuerunt,*

M. AIMILIVS LEPIDVS, L. VOLCATIVS TVLLVS.

HOs consules nominat Cicero in Catil. I. cap. 6. et pro Sulla, cap. 4. quibus ipse cal. Ianuarii præturam iniit, quam hoc anno

 ges-

gessit. Indicat Asconius in Cornelianam. princ. *Sequenti*, inquiens, *anno M. Lepido L. Volcatio Coss. quo anno prætor Cicero fuit, reum Cornelium duo fratres Cominii lege Cornelia de maiestate fecerunt*. Indicat idem Cicero pro Cœlio: cap. 4. *Fuit assiduus mecum prætore me: non nouerat Catilinam: Africam tum pretor ille obtinebat, secutus est annus, causam de pecuniis repetundis Catilina dixit.** Quare si Catilina causam de pecuniis repetundis anno sequente Cotta et Torquato coss. dixit, vt ex Asconio, et oratione pro Sulla cognoscitur: hoc anno, quo ille Africam obtinuit, Cicero prætor Romæ fuit. quod Dio exponens res gestas huius anni diserte scribit. Prætor Cicero quæstioni de pecuniis repetundis præfuit, vt ipse pro Rabirio Postumo cap. 4. itá confitetur: *Accusaui de pecuniis repetundis, iudex sedi, prætor quæsiui.* et pro Cornelio princ. *Postulatur apud me prætorem primum de pecuniis repetundis.* Idem ostendit pro Cluentio: cap. 53. vbi quæstionem de pecuniis repetundis *suam* vocat. Iudicia Cicero, vt Plutarchus scribit, visus fuit caste integreque exercere. De Licinio Macro idem memoriæ proditum ait, eum, qui et ipse multum in ciuitate poterat, et Crasso patrono vtebatur, cum de pecuniis repetundis apud Ci-

* Cur Gruteriana has duas voces omiserit distinctione mutata, et sequantur aliæ, viderint. Præcipue autem ad mentem Fabricii facit locus orat. 11. in Rullum cap. 18. *Vos mihi prætori biennio ante, Quirites, hoc eodem in loco personam hanc imposuistis.*

Ciceronem prætorem accusatus esset, et iudices adhuc sententias ferrent; fretum sua potentia et studio amicorum domum abiisse, et caput statim totondisse, sumtaque veste pura tanquam victorem in forum reuertisse. sed cum Crassus, in vestibulo occurrens, eum omnibus sententiis damnatum esse, dixisset: reuersum decubuisse, atque ita decessisse, aiunt. quæ res Ciceroni, vt qui iudicia magna cum diligentia exerceret, gloriam peperit. hactenus Plutarchus. Valerius Maximus lib. IX. cap. 12. rem paulo aliter narrat. Cicero autem ep. 3. lib. 1. Att. quam hoc anno prætor scripsit. *Nos*, inquit, *hic incredibili ac singulari populi voluntate de C. Macro transegimus: cui cum æqui fuissemus; tamen multo maiorem fructum ex populi existimatione illo damnato cepimus, quam ex ipsius, si absolutus esset, gratia cepissemus.* Meminit in eadem epistola comitiorum Q. Fratris, quibus ille ædilitatem petiisse videtur. cal. Ian. huius anni C. Manilii lex de libertinis S. C. damnata fuit, auctore Dione. Tum Manilius, vt Pompeii gratiam colligeret, legem promulgauit, vt Pompeio, qui tum in Cilicia belli maritimi reliquias persequebatur, Bithynia, Phrygia, Lycaonia, Galatia, Cappadocia, Cilicia, Colchis, Armenia minor, cum omni apparatu belli piratici, et copiis omnibus, quæ sub Lucullo meruerant, bellumque Mithridaticum, quod Lucullus iam annis septem gesserat, committeretur, Plutarchus in Pompeio, Appianus in Mithridatico, Dio lib. XXXVI.

Hanc legem promulgatam Q. Catulus et Hortensius, viri consulare de more dissuaserunt; Cicero prætor suasit oratione, quæ pro lege Manilia exstat: qua bellum Mithridaticum, et genere necessarium, et magnitudine periculosum, Cn. Pompeio, in quo summa esset scientia rei militaris, virtus, autoritas, et felicitas, transmittendum esse, persuasit. Eodem anno A. Cluentius Auitus veneficii a T. Atio accusatus, a Cicerone prætore apud Q. Voconium defensus fuit. Veneno sustulisse cum alios nonnullos, tum Oppianicum, vitricum suum, arguebatur. sed Cicero, antequam ad hoc crimen veniat, Cluentium longa defensione primum de falsa infamia purgat. Cum enim Oppianicus ante annos octo, Lucullo et Cotta coss. vt supra demonstrauimus, a Cluentio accusatus et condemnatus esset; defensor eius L. Quintius rem in inuidiam adduxit, cum diceret, pecuniam in iudicio fuisse versatam: et cum incertum esset, ex qua parte esset profecta; populus Rom. non credidit ab Oppianico datam, quia damnatus erat, et errore multorum in falso crimine Cluentius fuit, vt scribit Asconius in Verr. II. cap. 10. Hoc tempore Ciceronem etiam pro M. Fundanio, et Q. Gallio dixisse, Carolus Sigonius in fragmentis Ciceronis annotauit: sed de oratione pro Gallio dissentio. M. Ciceronem etiam, cum prætura fungeretur, scholam M. Antonii Gniphonis frequentasse, Tranquillus de illustribus Grammaticis cap. 7. auctor est. Cum P. Vatinius, patronus

nus aſper, et magiſtratuum contemtor, ſtrumis oppletum collum haberet, ac coram a Cicerone prætore aliquid peteret; idque ille non concederet, ſed diu deliberaret: dixit, ea de re ſe, ſi prætor eſſet, nihil dubitaturum. cui Cicero: *At ego tantas ceruices non habeo.* Extremo menſe huius anni, cum Ciceroni iam biduum aut triduum præturæ ſupereſſet, Manilium quidam furti apud ipſum poſtulauit. Studebat Manilio populus, quod propter Pompeium, cui amicus erat, accuſari videretur. cum igitur Manilius vnum diem petiiſſet, ac Cicero tantum inſequentem dediſſet: populus indigne tulit; quod mos eſſet vt decem minimum dies prætores reis darent. quare productus in concionem a tribunis pl. ibique accuſatus, cum rogaſſet, vt audirent, dixit: Se, qui in reos ſemper, quantum leges permitterent, comis et humanus fuiſſet, indignum iudicaſſe, non eundem ſe Manilio præſtare; itaque ei diem, quem vnum prætor in ſua poteſtate haberet, dedita opera præfiniuiſſe, cum non ſit eius, qui rei cauſam adiuuare velit, ad alium magiſtratum iudicium reiicere. hac oratione animi populi ita commutati ſunt, vt Ciceronem lætis acclamationibus proſecuti, rogarent, vt Manilii patrocinium ſuſciperet; quod ille præſertim ob Pompeium abſentem cupide recepit. magnaque vi orationis in ſtudioſos potentiæ paucorum, et Pompeii inuidos inuectus eſt. Hactenus Plutarchus. Dio autem de eadem re in hanc ſententiam ſcribit: *Cum homines nobiles Manilio accuſationem*

comparassent, isque in hoc incumberet, vt dies sibi prorogaretur; Cicero prætor, et quæstionis iudex, præter alia, quæ contra Manilium fecit, vix in posterum diem iudicium distulit, anni et præturæ exitum prætexens. quod cum multitudo indigne ferret, in concionem venit. coactus a tribunis pl. senatumque insectatus, Manilii causam defensurum se promisit. Sed quo minus hoc iudicium fieret, Dio tumultum in causa fuisse ait: quem breui expediam. Comitia consularia hoc anno habente L. Volcatio Tullo, consules designati fuerunt P. Autronius Pætus, et P. Cornelius Sulla. designatos iam L. Cotta, et L. Torquatus lege Calpurnia de ambitu, de qua diximus, accusarunt et damnarunt, atque ad se magistratum transtulerunt; vt Cic. in orat. in toga candida, Asconius, in eam Sallustius Cat. cap. 18. et Dio testantur. Cicero quoque lib. II. cap. 19. de Finib. ait, L. Torquatum adolescentulum eripuisse P. Sullæ consulatum, et ad patrem suum retulisse. Eodem tempore Catilina, cum de prouincia Africa decessisset petiturus consulatum, pecuniarum repetundarum reus factus, prohibitus fuit petere, auctore Sallustio Cat. cap. 18. et Asconio in or. in toga candida. Tum contra Remp. coniurauerunt pauci; in quibus a Sallustio P. Autronius, L. Catilina et Cn. Piso numerantur. Dio et Suetonius in Cæs. cap. 9. illis addunt P. Sullam; nec dissentit Liuius lib. CI. quo nomine Sulla post annos quatuor a L. Torquato accusatus, ab Hortensio et Cicerone defen-

ſus fuit. Hi circiter nonas Decemb. conſilio communicato, parabant in Capitolio calen. Ian. Cottam et Torquatum coss. interficere. ea re cognita, in nonas Februar. conſilium cædis tranſtulerunt. ſed neque tum cædes facta eſt; quod Catilina ſignum coniuratis prius, quam parati eſſent, dederit: Salluſt. et Aſconius d. l.

Anno vrbis DCLXXXVIII. *Ciceronis* XLII. COSS. *fuerunt*,

L. AVRELIVS COTTA, L. MANLIVS TORQVATVS.

HORVM conſulum meminit Cicero Agraria II. cap. 17. et in Catilin. III. cap. 8. his verbis: *Memoria tenetis, Cotta et Torquato Coss. complures in Capitolio turres de cælo eſſe percuſſas; cum et ſimulacra Deorum immortalium depulſa ſunt, et ſtatuæ veterum hominum deiectæ, et legum æra liquefacta. tactus eſt etiam ille, qui hanc vrbem condidit, Romulus.* Eadem prodigia Cicero in ſecundo de conſulatu Vraniam Muſam narrantem fecit verſibus elegantiſſimis, qui exſtant l. I. cap. 11. ſeq. de Diuinat. de iisdem Obſequens, et Dio lib. XXXVII. M. Tullius ex prætura in prouinciam ire noluit, vt ipſe pro Murena teſtatur: ſed cum anno ſequente conſulatum petere cogitaret, hoc tempore prenſabat. qua de re ait in ep. I. lib. I. ad Att. quam hoc anno ante comitia conſularia Attico ſcripſit. His

consulibus Cicero C. Cornelium de maiestate apud Q. Gallium prætorem quatriduo defendit: quas actiones in duas orationes collatas edidit, auctore Asconio, apud quem reliquiæ orationum exstant. Eodem anno, vt Dio lib. xxxvii. scribit, C. Papius, tribunus pl. legem tulit, ne quis peregrinus in vrbe esset. Hinc Cicero lib. iii. cap. 11. de Officiis: *Male etiam, qui peregrinos vrbibus prohibent, eosque exterminant; vt Pennus apud patres nostros, Papius nuper.* hanc legem Papiam nominat idem pro archia. cap. 5. eandem intelligit in Agraria prima cap. 4. cum inquit: *Simillime atque in illa lege, qua peregrini Roma eiiciuntur, Glaucippus excipitur.* Hoc quoque anno Catilina accusatus est repetundarum a P. Clodio adolescente: Cicero pro Cœlio, cap. 4. et Asconius. Reo de pecuniis repetundis Catilinæ aduocatus fuit Torquatus consul, pro Sulla. cap. 29. Clodius accusator a Catilina pecuniam accepit, vt turpissime præuaricaretur: de Harusp. resp. cap. 20.

Anno vrbis DCLXXXIX. *Ciceronis* XLIII. COSS. *fuerunt,*

L. IVLIVS CAESAR, C. MARCIVS FIGVLVS.

HOs consules nominat Cicero pro Sulla cap. 20. iisdem se filiolo auctum scribit ep. 1. lib. 1. ad Att. Quia vero annus XLIII. legibus Romanis consularis fuit, vt Cicero Phi-

Philip. v. cap. 17. ostendit: ideo Cicero hoc anno consulatum petiuit; de quo pro Cœlio: cap. 4. *Deinceps fuit annus*, inquit, *quo ego consulatum petiui.* In consulatus petitione sex competitores Cicero habuit, P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam, C. Antonium, L. Cassium Longinum, Q. Cornificium, et C. Licinium Sacerdotem. de quibus Asconius in orat. in tog. cand. et Q. Cicero de petitione consul. cap. 2. in his patricii duo fuerunt, P. Galba, et L. Catilina. de quib. Cicero pro Murena: cap. 8. *Etenim mihi ipsi accidit, vt cum duobus patriciis, altero improbissimo atque audacissimo, altero modestissimo atque optimo viro, peterem; superaui tamen dignitate Catilinam, gratia Galbam.* Cum autem in dies licentia ambitus augeretur propter præcipuam Catilinæ et Antonii audaciam: censuerat senatus, vt lex ambitus aucta etiam cum pœna ferretur. cui rei cum Q. Mucius Orestinus, tribunus pl. intercessisset: grauiter senatu intercessionem ferente, Cicero surrexit, atque in coitionem Catilinæ et Antonii inuectus est, habita oratione in toga candida. Vtebatur enim hoc tempore magistratum petens candida toga, quam Polybius lib. x. τήβεννα λαμπρὰν nominat. Eam orationem, cuius fragmenta apud Asconium exstant, Quintilian. lib. III. cap. 9. vocat *librum in competitores*, quem vituperationem continere ait, et tamen in senatu esse habitum loco sententiæ. Catilina, iam conuocatis iis, quibus maxima necessitudo, et plurimum au-

daciæ inerat, consilium suum exposuerat: quod per Fuluiam in vulgus prolatum, in primis studia hominum accendit ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni; vt Sallust. Catil. cap. 23. scribit. *Itaque*, ait Asconius, in or. in Toga cand. extr. *Cicero consul omnium consensu factus est; Antonius pauculis centuriis Catilinam superauit.* et ipse in Pisonem cap. 1. *Me cuncta Italia, me omnes ordines, me vniuersa ciuitas, non prius tabella, quam voce, priorem consulem declarauit.* Item Agraria secunda cap. 2. *Est illud amplissimum, quod hoc honore ex nouis hominibus primum me, multis posthabitis, affecistis; quod prima petitione; quod anno meo: sed tamen magnificentius atque ornatius esse illo nihil potest, quod meis comitiis non tabellam vindicem tacitæ libertatis, sed vocem viuam præ vobis indicem vestrarum erga me voluntatum ac studiorum tulistis. itaque me non extrema tribus suffragiorum, sed primi illi vestri concursus; neque singulæ voces præconum, sed vna voce vniuersus pop. R. consulem declarauit.* Hoc anno Ciceronem Q. Gallium de ambitu defendisse, vt putem, Asconius facit: qui in orat. in toga candida scribit, postea defensum esse Gallium. Prætor fuerat anno superiore: hoc vero tempore de ambitu accusatus fuit, quod præturæ candidatus cum esset, gladiatorium dedisset. auctor Asconius. Eodem anno illud memoria dignum accidisse, Dio scribit, quod is, qui Sullæ iussu Lucretium occiderat, et alius,

qui

qui multos proſcriptos interfecerat, rei inter ſicarios facti et condemnati ſunt, auctore in primis Iulio Cæſare: vbi L. Bellienum. et L. Luſcium ſignificari, ex Aſconio in orat. pro Ligario cap. 4. ſcripſi. vbi Cicero ait, Sullanam crudelitatem a C. Cæſare eſſe vindicatam. Cæſar enim hoc anno in exercenda de ſicariis quæſtione eos quoque ſicariorum numero habuit, qui proſcriptione ob relata ciuium Romanorum capita pecunias ex ærario acceperant, auctore Suetonio. in Cæſ. cap. 11. Eas vero pecunias M. Catonem quæſtorem anno ſuperiore, Cotta et Torquato coss. etiam exegiſſe, Plutarchus in Catone ſcribit. Neque ſolum hoc præter opinionem multitudinis accidiſſe Dio ait; verum etiam quod Catilina, qui permultos a Sulla proſcriptos occiderat, in iudicium adductus et abſolutus fuit. atque hoc eſt illud iudicium, in quo Catilinæ Torquatum non adfuiſſe, cum adeſſent ceteri, Cicero pro Sulla cap. 29. dicit. Catilinam a L. Lucullo reum inter ſicarios factum poſt repulſam, Aſconius ſcribit. Fuit hoc anno cenſor L. Aurelius Cotta, vt Plutarchus in Cicerone oſtendit. itaque L. Cotta homo cenſorius dicitur, pro domo ſua. cap. 32. Extremo huius anni menſe P. Seruilius Rullus, tribunuspl. inito magiſtratu, legem agrariam promulgauit, vt decemviri ſummo cum imperio crearentur, qui in ſua poteſtate Italiam totam, Syriam vniuerſam, eaque omnia, quæ virtute Pompeii recens imperio Romano adiecta erant, haberent; venderent quid-

quidquid publicum populi Rom. esset; iudicarent de omnibus, de quibus ipsi vellent, exsules eiicerent, colonias deducerent, pecuniam ex ærario caperent, milites, quot opus haberent, conscriberent, et alerent. Hæc capita legis agrariæ Plutarchus in Cicerone recenset: ipse in Orationibus plura habet, sed quæ ad hæc pertineant.

Anno vrbis DCXC. *Ciceronis* XLIV. COSS. *fuerunt*,

M. TVLLIVS CICERO, C. ANTONIVS.

CAl. Ianuarii Cicero se Rempubl. accepisse plenam solicitudinis, plenam timoris, in qua nihil esset mali, nihil aduersi, quod non boni metuerent, improbi exspectarent, ait Agrar. II. cap. 3. Nam tribunipl. vt Dio scribit, nacti Antonium cos. moribus sibi simillimum; partim liberos eorum, qui a Sulla proscripti, honorum petitione priuati erant, ad magistratus adducebant; partim P. Pæto, et Cornelio Sullæ, qui cum ipso damnatus fuerat, senatoriam dignitatem restituebant, atque vt magistratus gerere possent, permittebant; alii nouas tabulas proponebant, alii legem ferebant de agris diuidendis per Italiam, et ditiones, quæ pop. Rom. imperio parebant. Hactenus Dio. Multa Antonius, collega Ciceronis, in Repub. moliebatur; fauebat legi agrariæ, et Catilinæ familiaris ab eius consiliis non

non erat alienus: quod Cicero pro Sextio cap. 3. et in Pisonem cap. 2. Sallustius, Plutarchus et Dio significant. erat enim inflatus Catilina Antonii promissis; pro Murena cap. 24. Hunc igitur Cicero patientia et obsequio suo primum mitigauit, atque ita de lege agraria cœpit agere. Calendis Ianuarii inito consulatu, senatum et bonos omnes legis agrariæ, maximarumque largitionum metu liberauit; vt ipse in Pisonem ait. Tum primam orationem consularem habuit in senatu epist. 1. lib. II. ad Att. atque hæc est oratio prima contra Rullum, cuius pars exstat, in qua disputat contra venditionem rerum publicarum, emtionem agrorum, et deductionem coloniarum. Hac oratione, Plutarchus, auctores legis ita perterritos fuisse, ait, vt nihil contra dixerint. cum deinde iidem consules in concionem vocarent; Cicero populo Rom. disceptatore vti non dubitauit. sed, cum senatum se sequi iussisset, progressus, secundam orationem consularem ad populum de lege Agraria dixit: in qua legem Seruiliam antiquandam esse suadet, quod per eam Rullus simulatione largitionis tyrannidem constituat; cum et decemviris creandis libertatem populo eripiat, et in agrorum venditione atque emtione, coloniarumque deductione, tyrannicam potestatem ipsis permittat. Hac oratione, Plutarchus ait, Ciceronem non modo legem eiecisse; verum etiam tribunos in desperationem reliquorum, quæ moliebantur, coniecisse. Huc accesserunt duæ oratio-

nes

nes breues, quaſi ἀποσπασμάτια legis agrariæ; vt ſcribit ad Atticum ep. I. lib. II. harum vna, quæ contra Rullum ad populum tertia legitur, breuiſſima exſtat. qua ſe defendit contra accuſationem tribunorum, qui Ciceronem gratificantem Sullanarum aſſignationum poſſeſſoribus, Agrariæ legi obſiſtere criminati erant. Ita factum eſt, vt, Cicerone dicente, legem agrariam, hoc eſt, alimenta ſua, abdicauerint tribus; vt Plinius lib. VII. cap. 30. ait. Quanta vis dicendi et eloquentia in Cicerone fuerit, Plutarchus in eo quoque declaratum fuiſſe ait, quod in illius conſulatu circa ſpectacula euenit. L. Roſcius Otho legem theatralem Piſone et Glabrione coss. tulerat, vt ſupra demonſtrauimus: quam plebs ad ignominiam ſuam pertinere cenſuit; ideoque Roſcium in theatro ſibilis conſectata eſt, cum equites contra illum plauſu exceperunt. ſublato deinde maiore hinc ſibilo, inde plauſu: conuicia, et tumultus tota cauea conſecutus eſt. quo audito, M. Tullius in theatrum venit, et populum, in ædem Bellonæ euocatum, reprehendendo et admonendo caſtigauit. Hanc orationem conſularem tertiam de Othone appellat lib. II. ep. I. ad Att. qua effectum eſt, vt Roſcio, theatralis auctori legis, plebs ignouerit, et notatam ſe diſcrimine ſedis æquo animo tulerit; vt Plinius lib. VII. cap. 30. teſtatur.* Plutarchus vero ſcribit, plebem, ex æde Bellonæ in theatrum reuerſam, Othoni magnum plauſum dediſſe, et de ornando viro equeſtri ordini nihil conceſſiſſe.

Quar-

Quarta oratio consularis pro Rabirio exstat, sed imperfecta. Vnde orta hæc causa fuerit, diximus supra ad annum DCLIII. quo Saturninus occisus fuit. hoc vero tempore C. Iulius Cæsar T. Labienum subornauit, qui C. Rabirio perduellionis diem diceret; vt Suetonius in Cæs. cap. 12. scribit, et Dio pluribus verbis libro XXXVII. Est autem perduellio summum imminutæ maiestatis crimen: de quo Duumviri, a populo creati, quærere solebant; quod vetus lex apud Liuium libro 1. cap. 26. ostendit. Itaque C. et L. Cæsares Duumuiri in hac causa creati, non a populo, vt moris erat; sed a prætore, quod non licebat, Rabirium condemnarunt, vt Dio scribit. C. Cæsar, auctore Suetonio, sorte iudex in reum ductus tam cupide condemnauit. vt ad populum prouocanti nihil æque ac iudicis acerbitas profuerit. Populo appellato, comitia centuriata, quibus de perduellione iudicari solebat, in campo Martio habita sunt: vbi consul Cicero C. Rabirium defendit; tum quod senatus imperio paruisset, tum quod fidem publicam non violasset, quam Marius sine S. C. dare non potuisset. De hac causa in Pisonem cap. 2. hæc dixit: *Ego in C. Rabirio perduellionis reo,* XL. *annis ante me consulem interpositam senatus auctoritatem sustinui contra inuidiam, atque defendi.* de eadem in Oratore cap. 29. *Ius omne retinendæ maiestatis Rabirii causa continebatur: ergo in omni genere amplificationis exarsimus.* Quinta oratio consularis fuit de proscriptorum filiis. Hi sunt, quos Plu-

Plutarchus in Cic. ſcribit, lege Cornelia honoribus excluſos, cum neque infirmi, neque pauci eſſent, populum concitaſſe: ac iuſte quidem Sullæ tyrannidem accuſaſſe, verum alieno tempore remp. perturbaſſe. Dictator enim Sulla non ſolum inimicos ſuos proſcripſit; ſed eorum etiam filios petendorum honorum iure lege lata priuauit: auctores ſunt Plutarchus in Sulla, Paterculus lib. II. cap. 28. et Dionyſius Halicarnaſſeus lib. VIII. qui addit illis etiam aditum in ſenatum obſtructum fuiſſe. itaque petentibus illis, vt lege Cornelia abrogata, capeſſendorum honorum poteſtas ſibi fieret; Cicero Conſul reſtitit: qua de re Quintilianus lib. XI. cap. 1. extr. et Cicero in Piſonem cap. 2. *Ego adoleſcentes bonos et fortes, ſed vſos ea conditione fortunæ, vt, ſi eſſent magiſtratus adepti reip. ſtatum conuulſuri viderentur, meis inimicitiis, nulla ſenatus mala gratia, comitiorum ratione priuaui.* Hinc Plinius lib. VII cap. 30. Ciceronem appellans, *Te orante*, inquit, *proſcriptorum liberos honores petere puduit.* Sextam orationem conſularem M. Tullius ad Atticum numerat; quam habuit, cum prouinciam in concione depoſuit. Prouincias ſenatus conſulibus lege Sempronia decreuerat Macedoniam et Galliam ciſalpinam. Macedoniam, vt Dio ſcribit, Cicero, Galliam Antonius erat ſortitus. commutatis deinde prouinciis, Cicero pro illa hanc recepit, acceptamque in concione depoſuit. hinc in Piſonem: *Ego*, inquit, *prouinciam Galliam ſenatus auctoritate,*

tate, exercitu, et pecunia instructam, et ornatam, et quam cum Antonio communicaui [*commutaui* fortasse rectius] *quod ita existimabam tempora reip. ferre, in concione deposui, reclamante populo Rom.* Interim L. Sergius Catilina arma per Italiam locis opportunis parabat, pecuniam sua aut amicorum fide sumtam mutuam, Fæsulas ad C. Manlium centurionem portabat. denique plurimos cuiusque generis homines adsciscebat, et in proximum annum consulatum petebat, vt Sallustius cap. 24. et 26. scribit. cum omnia, vt consul designaretur, Catilina moliretur, nihilque intentatum relinqueret: M. Tullio referente placuit senatui, vt ad pœnam quæ ambitus crimini constituta erat, decem annorum exsulium lege ad populum lata, adderetur. hæc Dio. Legem de ambitu se consulem tulisse, Cicero quoque pro Murena aliquoties (v. cap. 3.) significat. item in Vatinium cap. 15. *Atque illud etiam audire a te cupio, quare cum ego legem de ambitu ex S. C. tulerim, sine vi tulerim, saluis auspiciis tulerim, salua lege Aelia et Fusia: tu eam esse legem non putes?* vetabat eadem lex biennio, quo quis peteret, petiturusue esset, gladiatores dare, nisi ex testamento præstituta die; vt ibidem et pro Sextio cap. 64. ait. Cum Catilina, vt Dio tradit, hanc legem Tulliam contra se ex S. C latam putaret: manum quandam comparauit, et Ciceronem cum aliis nonnullis principibus in campo comitiis interficere conatus est, vt ipse confestim designaretur. Edicta

comitia consularia fuisse videntur in ante diem xii. Cal. Nouemb. qui nominatur in Catil. 1. cap. 3. sed, cum pridie eius diei Cicero Catilinæ consilia ad senatum detulisset, factum est S. C. ne postero die comitia haberentur, vt de iis rebus in senatu agi posset. *Itaque postridie,* inquit Cicero pro Murena, cap. 25. *frequenti senatu Catilinam excitaui, atque eum de iis rebus iussi, si quid vellet, quæ ad me allata essent, dicere. atque ille, vt semper fuit apertissimus, non se purgauit; sed indicauit, atque induit: tum enim dixit, duo corpora esse Reip. vnum debile infirmo capite, alterum firmum sine capite; huic, cum ita de se meritum esset, caput se viuo non defuturum.* Hactenus Cicero. idem est apud Plutarchum. Eo die, id est, decimo octauo ante, quam primam Catilinariam Cicero dixit, vt Asconius in Orat. in Pisonem cap. 2. scribit, factum est S. C. vt viderent consules, ne quid respub. detrimenti caperet. de quo Sallustius cap. 29. et Plutarchus: qui addit, hoc S. C. facto, Ciceronem res externas Q. Metello commisisse, ipsi vrbem curæ fuisse, idem Cicero ep. 2. lib. v. Famil. significat. Comitiis, quod homines iam tum coniuratos, vt pro Murena cap. 26. testatur, in campum deduci sciebat; descendit in campum cum firmissimo præsidio fortissimorum virorum, et cum illa lata insignique lorica: vt omnes boni animaduerterent, et cum in metu et periculo consulem viderent, id quod est factum, ad opem præsidiumque eius concurrerent. Tectus igitur

præ-

præsidio firmo amicorum, Catilinæ tum, et Autroni copias et conatum repressit; vt ait pro Sulla cap. 18. et in Catilin. 1. cap. 5. *Cum proximis comitiis consularibus me consulem in campo, et competitores tuos interficere voluisti: compressi tuos nefarios conatus amicorum præsidio et copiis, nullo tumultu publice concitato.* Loricæ, qua tectus Cicero in campum descendit, meminerunt Plutarchus, et Dio. His comitiis Catilina repulsam iterum tulit: consules declarati sunt, D. Iunius Silanus, et L. Licinius Murena. *Cum igitur nihil*, inquit Dio, *Catilina procederet, iussit coniuratos noctu in domum quandam conuenire.* Fuit ea domus M. Porcii Leccæ, in quam coniuratos nocte ea, quæ consecuta est posterum diem nonarum Nouembr. Catilinæ denuntiatione conuenisse, Cicero pro Sulla cap. 18. ait. tum Catilinæ dies exeundi, tum ceteris manendi conditio, tum descriptio totam per vrbem cædis atque incendiorum constituta est. quod a Cicerone Orat. 1. et II. in Catil. et a Sallustio explicatur. Dixit ibi Catilina, paullulum esse sibi etiam tum moræ, quod Cicero viueret: reperti sunt duo equites Romani, qui sese illa ipsa nocte paullo ante lucem Ciceronem in suo lectulo interfecturos pollicerentur Orat. 1. cap. 4. in Catil. Alter eorum C. Cornelius a Sallustio cap. 28. et Cicerone pro Sulla cap. 6. nominatur. ei Sallustius L. Vargunteium addit, qui senator, non eques fuit. Plutarchi libri Marcium et Cethegum habent. Dio neutrius nomen expressit. Cum autem Cicero per Fuluiam

 de

de dolo, qui parabatur, vixdum etiam cœtu illo dimisso, certior factus esset: domum suam maioribus præsidiis muniuit atque firmauit; exclusit eos, quos Catilina mane ad ipsum salutatum miserat. Cic. in Catil. 1. cap. 4. Sallustius, Plutarchus, Appianus et Dio. VI. Idus Nouemb. Cicero senatum in Iouis Statoris ædem, quæ erat initio viæ Sacræ, qua ad Palatium ascenditur, conuocauit. Venit eodem Catilina, eique nullus senator assidere voluit, vt Plutarchus scribit. Cicero in Catil. 1. cap. 7. et II. cap. 6. ait principes ordinis senatorii partem illam subselliorum, ad quam ille accesserat, nudam atque inanem reliquisse. Tum M. Tullius, consul, siue præsentiam eius timens, siue ira commotus, orationem habuit luculentam, atque vtilem reipubl. quam postea scriptam edidit; ait Sallustius, cap. 31. Hæc est prima oratio in Catilinam, et septima consularis; qua Catilinam emisit, epist. 1. lib. II. ad Att. *Ego*, inquit in Pisonem, cap. 2. *L. Catilinam, cædem senatus, interitum vrbis non obscure, sed palam molientem; egredi ex vrbe iussi: vt, a quo legibus non poteramus, mœnibus tuti esse possemus.* Plutarchus: *Cicero eum vrbe exire iussit; oportere enim inter se, qui verbis, et illum, qui armis rempub. gereret, murum interesse.* Catilina igitur nocte intempesta cum trecentis armatis, lictoribus et fascibus imperii insignibus adhibitis, ex vrbe in Manliana castra profectus est. Postridie, quam Catilina profugit, Cicero orationem ad populum habuit, quam octa-

octauam consularem numerat epist. 1. lib. 11. ad Att. et est secunda Catilinaria: in qua Orator gratulatur populo et reipub. quod Catilina ex vrbe sit profectus; atque ad confirmandos animos bonorum ciuium, et infringendos coniuratos vtriusque partis copias inter se comparat. Postquam Romæ compertum fuit, Catilinam in castra Manliana profectum esse; senatus Catilinam et Manlium hostes iudicauit: decreuit præterea, vti consules delectum haberent, Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturaret, Cicero vrbi præsidio esset; auctore Sallustio. cap. 36. Catilina iam bellum gerente, cum eius socii in vrbe relicti nondum essent deprehensi; Cicero Murenam consulem designatum defendit; vt ex ipsa oratione cap. 27. seqq. et pro Flacco cap. 39. apparet. Accusarunt eum de ambitu Ser. Sulpicius, M. Porcius Cato, et Cn. Postumius. Sulpicius competitor eius fuerat, et repulsam tulerat. Catonem Plutarchus in eius vita scribit iurasse, accusaturum se, quemcunque pecuniam populo dare cognouisset: ideoque Murenæ nomen ab eo delatum esse, quod is pecunia effecisset, vt consul cum Silano designaretur. Defenderunt Murenam Q. Hortensius, M. Crassus, M. Cicero: qui, cum Hortensium eloquentiæ laude tum florentem superare contenderet, nullam partem noctis conquieuit, usque eo, vt nimiis curis et vigiliis afflictus, inferior, quam ille, in actione visus fuerit. hæc Plutarchus in Cicerone, vt ego iampridem conuer-

uerteram: vbi quod alii μὴ addunt, alii αὐτῷ pro αὐτῷ legunt, nullo modo probare possum. Interim P. Lentulus Sura legatos Allobrogum, qui Romam questum de auaritia magistratuum venerat, sollicitauit, eosque in Galliam ad suos ciues cum litteris misit. Cicero omni re, opera Q. Fabii Sangae, patroni ciuitatis Allobrogum, cognita, L. Valerio Flacco et C. Pomptinio praetoribus imperauit, vt in ponte Muluio per insidias Allobrogum comitatus deprehenderent. Igitur IV. Nonas Decemb. cum aduesperasceret, occulte eo profecti, tertia fere vigilia exacta, Allobroges cum comitatu et litteris comprehenderunt, atque ad Ciceronem, cum iam dilucesceret, deduxerunt. III. Nonas Cicero principes coniurationis ad se venire iussit, et senatum in aedem Concordiae vocauit. Ibi T. Vulturcii, et Allobrogum indiciis coniuratio omnis patefacta est. Introductis in Senatum indicibus, Cicero constituit C. Cosconium, M. Messalam, P. Nigidium, Ap. Claudium; qui omnia indicum dicta, interrogata, responsa perscriberent. quod ipse pro Sulla cap. 14. refert. Tum Lentulus, Cethegus, Statilius, Gabinius, et Caeparius ex S. C. in custodiam sunt traditi. quae Cicero in Catilin. III. Sallustius cap. 40. seqq. Plutarchus, Appianus et Dio pluribus verbis exponunt. Eo die senatus Ciceroni togato, non vt multis, bene gestae; sed vt nemini, conseruatae reipub. testimonium dedit, et singulari genere supplicationis Deorum immortalium templa pate-

patefecit: in Orat. in Pisonem cap. 3. eiusdem supplicationis mentio est Catilin. III. cap. 10. et IV. cap. 3. Philip. II. cap. 1. et XIV. cap. 8. pro Sulla cap. 30. et epist. 4. lib. XV. Famil. Sub noctem progressus in concionem Cicero, populo, qui frequens aderat, quidquid in Senatu actum erat, exposuit ea oratione, quæ tertia in Catilinam exstat, et nona Consularis numeratur; epist. 17. lib. II. ad Att. E concione Cicero, vt Plutarchus scribit, in domum vicini a populo deductus fuit; eo quod domi eius in operto sacra Bonæ deæ a mulieribus et Vestalibus fierent. ibi tum peracto sacrificio, cum ignis in ara iam exstinctus putaretur, magna flamma e cineribus in altum sublata fuit. quo ostento aliarum mentes perculsæ fuerunt: Vestales Terentiam, Ciceronis coniugem, maritum adire, atque dicere iusserunt, quæ de patriæ salute agere instituisset, ea exsequi ne dubitaret. Ostenti huius mentio est quoque in Dionis historia libro XXXVII. Postero die, pridie nonas Decemb. indicibus præmia constituta fuerunt; vt Cicero in Catilin. IV. cap. 3. indicat. Nonis Decemb. cum Cicero consul intelligeret, paratos esse, qui Lentulum et Cethegum eriperent; dispositis præsidiis, et senatu conuocato retulit, quid de iis fieri placeret, qui in custodiam traditi erant. Primus D. Iunius Silanus, quia consul designatus erat, sententiam rogatus, extremum supplicium in eos decreuit. ei assensi sunt deinceps multi, donec ad Ti. Neronem sententiæ dictio peruenit.

 hunc

hunc censuisse Appianus ait, vt comprehensi in vinculis haberentur, quoad Catilina bello profligatus esset. Cæsar deinde, prætor designatus, censuit, eos publicatis bonis in vinculis per municipia habendos. Huic sententiæ, ait Plutarchus, cum et æquitatis plena, et ab homine eloquentissimo dicta esset, momenti Cicero non parum addidit: surrexit enim, atque in vtranque partem disseruit, partim illam Silani, partim hanc Cæsaris sententiam defendens. quibus verbis summam quartæ orationis in Catilinam comprehendit: in qua Cicero de duabus sententiis contrariis ita disputat, vt non obscure in seueriorem Silani inclinet. atque hæc est decima oratio Consularis: quam in senatu nonis Decemb. habitam fuisse, ipse epist. I. libr. II. ad Att. scribit, vt satis mirari nequeam, Siluium et Curionem affirmare, illam orationem VII. Idus dictam fuisse. Cæsari deinceps omnes assensos esse usque ad Catonem, Appianus et Dio tradunt. Plutarchus ait, Q. Lutatium Catulum primum contradixisse. Inde M. Porcius Cato, tribunus pl. designatus, adhuc admodum adolescens, pæne inter vltimos rogatus sententiam, tanta vi animi atque ingenii inuectus est in coniurationem, vt ardore oris orationem omnium, lenitatem suadentium, societate consilii suspectam fecerit; sic impendentia ex ruinis incendiisque vrbis, et commutatione status publici, pericula exposuit; ita consulis virtutem amplificauit, vt vniuersus senatus in eius sententiam transiret. hæc

Vel-

Velleius lib. II. cap. 35. tu lege Ciceronem pro Sextio cap. 28. Facto igitur S. C. in Catonis sententiam, supplicium de Lentulo, Cethego, Statilio, Gabinio, Cæpario in carcere sumtum est. Atque ita M. Cicero suis consiliis, suis laboribus, sui capitis periculis, sine tumultu, sine delectu, sine armis, sine exercitu, quinque hominibus comprehensis, atque confossis, incensione vrbem, internecione ciues, vastitate Italiam, interitu rempubl. liberauit; in orat. pro Sulla cap. II. Ad vesperum, cum Cicero, vt Plutarchus scribit, per forum se domum suam reciperet: non iam silentio ciues, neque ordine, illum deducebant; sed quocunque accesserat, omnes eum vocibus et plausu excipiebant, et seruatorem ac conditorem patriæ appellabant; in foribus lampades et faces accensæ vicos, et angiportus clarissima luce collustrabant, pro tectis mulieres stabant, vt eum virum honorarent et spectarent, qui clarissimis viris comitatus tanto splendore per forum ascenderet. atque hæc facta sunt nonis Decemb. quas Cicero semper in ore habebat; vt scribit Brutus ad Att. Vide epist. 9. lib. 1. Fam. epist. 16. lib. 1. et epist. 1. lib. 10. ad Att. In consulatu M. Tullius legem quoque de legationibus liberis tulit, ne, sicut antea, infinitum, sed annuum tempus earum esset lib. III. cap. 8. de legibus. Quæstor Ciceronis coss. fuit T. Fadius. post red. in senatu cap. 8. Antonii quæstor fuit, P. Sextius, pro Sextio cap. 3. Eodem anno Cicero consul L. Luculli currum

triumphalem pæne in vrbem introduxit, in Lucullo cap. 1. itaque Murenæ consulatum petenti exercitus totus Luculli, qui ad triumphum per eos dies venerat, præsto affuit; pro Murena cap. 18. Eodem consule referente, primum decem dierum est supplicatio decreta Cn. Pompeio, Mithridate interfecto, confectoque Mithridatico bello in orat. de prouinciis coss. cap. 11. Hactenus consulatum Ciceronis descripsimus. de quo M. Crassus ita dixit: *Se, quod esset senator, quod ciuis, quod liber, quod viueret; Ciceroni acceptum referre: quoties coniugem, quoties domum, quoties patriam videret; toties se beneficium eius videre*, epist. 11. lib. 1. ad Att. Maxime vero consulatum hunc Cn. Pompeius probauit; qui, vt Ciceronem primum decedens ex Syria vidit, complexus et gratulans, *eius beneficio patriam se visurum esse* dixit, Philip. 11. cap. 5. idem vir, abundans bellicis laudibus, Ciceroni, multis audientibus, hoc tribuit, vt diceret: *frustra se tertium triumphum deportaturum fuisse, nisi eius in rempubl. beneficio, vbi triumpharet, esset habiturus:* lib. 1. de Officiis cap. 22. Ciceronem præterea Q. Catulus princeps senatus, et auctor publici consilii frequentissimo senatu parentem patriæ nominauit, in Pisonem c. 3. Neque solum Catulus, verum etiam multi alii sæpe in senatu Ciceronem patrem patriæ nominarunt: vt ipse testatur pro Sextio cap. 57. in his Plutarchus numerat Catonem. de quo Appianus: *Cum Cato Ciceronem patrem patria*

tria appellasset, *populus acclamauit; atque, vt quibusdam placet, hac appellatio primum Ciceroni tributa, inde ad Imperatores peruenit.* Hinc Iuuenalis Satyra VIII. v. 243.

-- -- -- -- *Roma parentem,*
Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

et Plinius lib. VII. cap. 10. M. Tullium sic affatur: *Salue primus omnium parens patriæ appellate.* De Cicerone L. Gellius vir clarissimus in concione dixit; si ille consul, cum fuit, non fuisset, rempubl. funditus interituram fuisse; post red. ad Quirites cap. 7. Idem ciuicam coronam Ciceroni deberi a republ. dixit; in Pisonem cap. 3. vide Gellium lib. V. cap. 6. Cum extremis diebus anni huius noui tribuni pleb. quia a. d. IV. Id. Decembr. magistratum inibant (vt supra ad annum DCLXXXVI. demonstrauimus) res eas, quas Cicero consul gesserat, vexare cuperent: ille P. Sextium Capua arcessiuit cum eo exercitu, quem tum secum habebat; cuius aduentu tribunorum conatus sunt retardati. Cicero pro Sextio cap. 4. Hos tribunos Plutarchus Metellum, et Bestiam nominat: sed L. Calpurnius Bestia tribunatu iam V. Id. abierat; quod Manutius et Corradus ex Sallustio monuerunt. Quintus autem Metellus Nepos, nouus tribunus, pridie calend. Ianuarii Ciceronem consulem, abeuntem magistratu, concionis habendæ potestate priuauit: cuius iniuria Ciceroni tamen honori summo fuit: nam cum ille nihil ei, nisi vt iuraret, permitteret,

teret, magna voce iurauit verissimum pulcherrimumque iusiurandum: quod populus item magna voce ipsum vere iurasse iurauit; epist. 3. lib. v. Famil. Iurauit autem se patriam conseruasse, vt Plutarchus et Dio scribunt, et ipse Cicero in Pisonem cap. 3. *Ego*, inquit, *cum in concione, abiens magistratu, dicere a tribuno plebis prohiberer, quae constitueram; cumque is mihi tantummodo, vt iurarem, permitteret: sine vlla dubitatione iuraui, rempublicam atque hanc vrbem mea vnius opera esse saluam. mihi populus Romanus vniuersus illa in concione non vnius diei gratulationem; sed aeternitatem immortalitatemque donauit, cum meum iusiurandum tale atque tantum iuratus ipse vna voce et consensu approbauit. quoquidem tempore is meus domum fuit e foro reditus, vt nemo, nisi qui mecum esset, ciuium esse in numero videretur.* huius frequentiae, qua, abiens consulatu, domum fuit reductus, mentio est in epist. 13. lib. 1. ad Att.

Anno vrbis DCXCI. *Ciceronis* XLV. COSS. *fuerunt*,

D. IVNIVS SILANVS, L. LICINIVS MVRENA.

AB his Consulibus lata fuit lex Iunia Licinia: qua, vt leges trinundino die promulgarentur, poena adiecta cauebatur; Cic. Philip. v. cap. 3. *Vbi lex Caecilia et Didia? vbi promul-*

mulgatio trinundinum? vbi pœna recenti lege Iunia et Licinia? eiusdem legis meminit in Vatinium cap. 14. et ad Atticum epist. 9. lib. II. et epist. 15. lib. IV. Initio huius anni Catilina in agro Pistoriensi a C. Antonio proconsule cum exercitu cæsus est: Sallustius Cat. cap. 57. seqq. Dio lib. XXXVII. Liuius lib. CIII. Vicit eum prælio M. Petreius legatus Antonii. de quo Cicero pro Sextio. cap. 5. Victo Catilina Antonius laureatos fasces, vt Obsequens scribit, in Macedoniam prouinciam tulit, cui per triennium deinde præfuit. Quia vero Antonius in fascibus insignia laureæ præferebat, imperator appellatus erat: qua de re scripsi in Ligarianam. Itaque Cic. epist. 5. lib. V. Famil. qua Antonio T. Pomponium Atticum in Græciam proficiscentem hoc anno commendauit, Imperatori adscribit: quod Paulus Manutius sine causa miratur. nam et Dio lib. XXXVII. aperte tradit, Antonium ob victoriam de Catilina, quamquam cæsorum numerus infra legitimum esset, Imperatorem appellatum fuisse. Metellus tribunus pleb. a. d. III. non. Ianuar. vt est epist. 2. libr. V. Famil. cum agere cæpisset, non in senatu, vt vir doctus annotauit, sed ad populum; ἐν τῷ ὁμίλῳ, vt Dio loquitur: (fuisse autem diem comitialem vetus Cal. ostendit) tertio quoque verbo orationis suæ Ciceronem appellabat, cum clamaret, non licuisse ei, Lentulum, Cethegum, et reliquos ciues indicta causa necare. atque hoc crimen verbo Ciceroni, re senatui intendebatur, auctore

Dio-

Dione. Cicero Metello forti animo restitit, et orationem Metellinam contra concionem Metelli scripsit, cum ille prior scripsisset: epist. 10. libr. I. et epist. 12. libr. III. ad Att. Meminit Quintilian. libr. IX. cap. 3. Gellius lib. XVIII. cap. 17. Priscianus lib. IX. et X. Tunc etiam Metellus Celer, qui Galliam prouinciam pro consule obtinebat, ad Ciceronem misit epist. I. lib. V. Famil. querens Nepotem fratrem suum ab eo oppugnatum: cui Cicero epistola secunda respondet. Hoc anno ex indicio L. Vettii, equitis Rom. qui de Catilinæ sociis in vrbe remanserant, partim præsentes, partim cum citati non respondissent, damnati sunt; vt Dio scribit. in his fuerunt P. Autronius, Ser. Sulla, L. Varguntejus, M. Porcius Læca, C. Cornelius: quos Cicero in orat. pro Sulla cap. 2. nominat. damnati sunt lege Lutatia de vi publica. quod indicant hæc verba Ciceronis pro Cœlio cap. 29. *Quam legem Q. Catulus, armata dissensione ciuium, reip. extremis pæne temporibus, tulit; quæque lex, sedata illa flamma consulatus mei, fumantes reliquias coniurationis exstinxit.* Tum L. Torquatus, qui P. Cornelio Sullæ consulatum ante triennium eripuerat, eiusdem nomen de duplici coniuratione detulit. de priore, quæ L. Tullo, M. Lepido coss. inita fuit, Q. Hortensius; de posteriore Cicero, qui illam anno superiore oppresserat, defendit oratione illa, quæ pro P. Sulla exstat. quam hoc tempore, condemnatis aliis coniuratis, habitam esse,

illa

illa verba argumento sunt cap. 32. *Seueritatem iudiciorum, quae per hos menses in homines audacissimos facta est, lenitate ac misericordia mitigate.* Huc accedit, quod homines docti tribunum illum, quem Cicero, ad lugendos coniuratos ex illis relictum videri, ait, cap. 10. Metellum Nepotem esse, non sine causa putant. Eodem tempore, cum Sulla reus esset, domum Cicero in palatio emit; vt Gell. scribit lib. XII. cap. 12. Domus emtae a se meminit epist. 10. lib. I. ad Att. quam scripsit mense Ianuario anni sequentis. quare non dubito, quin extremo huius anni mense, cum Q. Fufius Calenus tribunatum pleb. iniuisset, Cicero scripserit epist. 6. lib. V. Famil. ad P. Sextium: qui, cum anno superiore C. Antonii consulis quaestor fuisset; hoc anno pro quaestore cum eodem in Macedonia erat. vide Orat. pro Sextio cap. 5. Cn. Pompeius confecto iam bello Mithridatico, litteras publice miserat: in quibus, quod gratulationem de rebus a se in vrbe gestis praetermiserat; Cicero cum eo expostulat epist. 7. libr. V. Famil. P. Clodius Ap. F. adolescens audax et insolens, Pompeiae vxoris C. Caesaris amore captus, extremo hoc anno, cum Bonae deae in domo Caesaris pro populo fieret, in opertum cum veste muliebri venit; sperans se, quod imberbis esset, clam ingressum, ad Pompeiam peruenturum. Sed dum in amplis et laxis aedibus oberrat, ab Aureliae, matris Caesaris, ancilla conspicitur; nomenque rogatus, cum se Auram pedissequam Pompeiae

quae-

quærere dixisset; ex voce agnoscitur, et a mulieribus in cubiculo ancillæ, cum qua domum ingressus erat, deprehenditur, atque foras eiicitur, vt Plutarchus in Cicerone et Cæsare scribit. Cicero in Orat. de harusp. respons. cap. 21. ait, illum ancillarum beneficio emissum esse. tu vide epist. 10. et sequentes libr. 1. ad Atticum.

Anno vrbis DCXCII. *Ciceronis* XLVI. COSS. *fuerunt*,

M. PVPIVS PISO, VALERIVS MESSALA.

P. Clodii facinore patefacto, a Virginibus et Pontificibus id nefas est decretum: Cæsar deinde vxori nuntium remisit, et Clodium tribunus pleb. accusauit; auctore Plutarcho in Cæsare. Accusatorem Clodii Cicero de harusp. resp. cap. 17. Lentulum nominat. Clodium incesti crimine a tribus Lentulis accusatum fuisse, Valerius libr. IV. cap. 2. tradit. De Clodii iudicio vide epist. 13. lib. 1. ad Att. in eo M. Tullius testis productus, cum Clodius crimen ita refelleret, vt diceret, se illa nocte non Romæ, sed longe ab vrbe Interamnæ apud Cassinium Scholam fuisse: Cicero contra pro testimonio dixit; illum ad se domum venisse, et de quibusdam rebus egisse, id quod verum erat. Plutarchus, Cicero pro domo, et Milone, ibidemque Asconius, Quintilianus lib. IV. cap. 2. Valerius libr. VIII. cap.

cap. 5. Absoluto Clodio Cicero, cum eo idibus Maii in senatu contendit. epist. 13. lib. 1. ad Att. Hoc anno Q. Tullius Cicero M. frater prætor fuit: cumque prætores prouincias sortirentur, Q. Ciceroni Asia obtigit, epist. 12. lib. 1. ad Attic. Obtinuit eam prouinciam per triennium, cum L. Valerio Flacco successisset, vt ex orat. pro Flacco cap. 14. intelligitur. Eodem anno censores creatos fuisse, et lustrum condidisse, ex libr. 1. ad Att. et Dionis lib. VII. satis notum est. Hi Onuphrio sunt, P. Seruilius Isauricus, et Mam. Aemilius Lepidus. Ante hos Censores Ciceronem pro Archia dixisse, hæc verba * orationis, cap. 5. quæ ex tanto numero interpretum nemo adhuc exposuit, arguunt. *Est enim obscurum, proximis censoribus hunc cum clarissimo imperatore L. Lucullo apud exercitum fuisse, superioribus cum eodem quæstore fuisse in Asia, primis, Iulio et Crasso, nullam populi partem esse censam.* L. Iulium Cæsarem, et P. Licinium Crassum censores fuisse primos post datam ciuitatem Archiæ, anno DCLIV. diximus. Tertio anno post, L. Marcius Philippus, et M. Perperna censores lustrum LXVI. fecerunt, quo tempore Archias in Asia fuit cum Lucullo quæstore, qui per multos annos admirabili quadam laude prouinciæ præfuit: Cicero in Lucullo cap. 1. Censura deinde intermissa fuit usque ad annum vrbis DCLXXXIII.

H quo

* Cur vocem hanc omisit Gruterus et omnes inde editiones vsque ad hanc?

quo L. Gellius, Cn. Lentulus lustrum LXVII. fecerunt, cum Lucullus in Asia bellum contra Mithridatem administraret. atque hi Censores proximi ante Ciceronis consulatum censum egerunt. Nam qui Cotta et Torquato coss. creati fuerunt, propter dissensionem abdicarunt: illi autem, qui anno insequenti iis successerunt, intercedentibus tribunis pleb. nihil agere potuerunt. auctor Dio lib. XXXVII. Itaque M. Tullius post consulatum ante censores, qui hoc anno creati fuerunt, A. Licinium Archiam, cui Gracchus quidam ciuitatis controversiam mouerat, defendit illa oratione, quæ exstat: in qua primo, eum ciuem esse, probat; deinde reliqua oratione ornat, vt ciuitate Romana dignum esse demonstret. Corradus ex epist. 13. lib. 1. ad Attic. putat, Ciceronem pro Archia dixisse Metello et Afranio coss. sed qui, quod inchoauit, nondum perfecit, nihil scripsisse videri potest. Hoc anno Pompeius tertium triumphum de Mithridate, Tigrane, plurimisque regibus, ac gentibus per biduum III. et prid. cal. Octob. vt est in Fastis Capitol. egit. trium triumphorum Pompeii mentio est lib. II. cap. 9. de Diuinat. de iisdem Cicero pro Balbo cap. 6. *Cuius tres triumphi testes essent, totum orbem terrarum nostro imperio teneri.* Eodem anno C. Cæsar, cum esset in Hispania prætor, populum Gaditanum summis ornamentis affecit, controuersias sedauit, iura ipsorum permissu statuit, et inueteratam quondam barbariam ex Gaditanorum moribus

bus disciplinaque deleuit; vt Cicero in eadem oratione cap. 19. testatur. Tum quoque C. Pomtinius, qui anno superiore in Galliam vlteriorem ex prætura missus erat, Allobrogas domuit, vt copiose Dio lib. XXXVII. narrat. Meminit Cicero in orat. de prouinciis coss. cap. 13. et Liuius lib. CIII. Nonis Decembr. Cicero ad Att. scripsit epist. 14. lib. 1.

Anno vrbis DCXCIII. *Ciceronis* XLVII. COSS. *fuerunt*,

Q. CAECILIVS METELLVS CELER, L. AFRANIVS.

DE his consulibus Cicero libro 1. ad Att. Primis huius anni mensibus Tullius in vrbe fuit, ep. 15. et 16. lib. 1. ad Att. effecitque ne Q. fratri in Asia succederetur epist. 1. libr. 1. ad fratr. L. Flauius tribunus pl. legem Agrariam auctore Pompeio promulgauit de agris diuidendis militibus Pompeii, et plebi: de qua Cicero lib. 1. ad Att. et Dio lib. XXXVII. qui scribit Metellum consulem tum a Flauio in carcerem ductum fuisse. vnde Cicero epist. 1. libr. II. ad Atticum: *nunc consule in carcere incluso*. P. Clodius, vt idem Dio scribit, tribunatus cupidus, primum tribunos quosdam submisit, qui legem ferrent, vt patriciis quoque eius magistratus capiundi potestas esset. quod vbi non persuasit, patriciatum eiurauit, atque in concionem progressus, ad plebem transiit. In hanc sententiam Dio. Cicero ve-

ro epist. 15. libri primi ad Atticum ita scribit: *C. Herennius tribunus pleb. ad plebem P. Clodium traducit; idemque fert, vt vniuersus populus in campo Martio suffragium de re Clodii ferat.* addit Dio: *Clodius tribunatum statim petiit, sed creatus non est, Metello ei resistente; qui et propinquus Clodii erat, et ea, quæ ille agebat, non probabat, prætendebat vero adoptionem more maiorum non esse factam, quia plebeius, nisi lege Curiata, fieri nemo posset.* Apud Dionem ἐν τῇ εἰσφορᾷ τȢ̃ ϛρατιωτικȢ̃ νόμȢ, mendose est pro τȢ̃ φρατριατικȢ̃, quod ex lib. XXXIX. cognoscitur, vbi, τὴν εἰσφορὰν τȢ̃ φρατριατικȢ̃ de Clodii adoptione agens dicit. Clodio igitur tum frater Metellus, et concors senatus, principi Cn. Pompeio sententiam dicenti, acerrime vna voce ac mente restitit: Cicero de harusp. resp. cap. 21. Metellus etiam consul, incipientem furere Clodium atque conantem sua se manu interfecturum, audiente senatu, dixit, pro Cœlio cap. 24. Idibus Martiis huius anni Cicero Commentarium consulatus sui Græce compositum ad Atticum misit, epist. 16. lib. I. Misit eundem Rhodum ad Posidonium, vt ornatius de iisdem rebus scriberet. ille vero rescripsit, se illud ὑπόμνημα cum legeret, non modo non excitatum esse ad scribendum, sed etiam plane perterritum, epist. I. lib. II. ad Att. Ciceronem ἐν τῷ περὶ τῆς ὑπατείας Plutarchus in Cæsare adducit. Scripsit etiam Cicero de consulatu suo versibus tres libros. *Tertium poëma exspe-*

ctato,

Etato, inquit ep. 16. lib. I. ad Att. et epist. 3. lib. II. *Sed me κατάληψις mea illa commouet, quæ est in libro tertio.* Libro etiam primo de Diuin. cap. 11. Q. frater plures versus ab Vrania Musa in secundo de consulatu pronuntiatos commemorat, quorum tres ex libris consulatus Ciceronis Lactantius adducit lib. III. cap. 17. De Prognosticis, quæ Atticum propediem exspectare iubet, epist. I. lib. II. quid dicam, non habeo. Certe quæ lib. I. cap. 11. de Diuin. ex Ciceronis prognosticis adducuntur, Aratea sunt, atque Διοσημείοις Græce exstant. Priscianus quoque lib. X. XVI. et XVIII. Ciceronem *in Prognosticis* citat. verum, quos adducit versus, ex Arato expressi sunt. Post Idus Martii huius anni Cicero aliquandiu ruri fuit. Romam autem e Pompeiano se recepit a. d. IV. Id. Maii, epist. vlt. lib. I, ad Att. Cal. Iun. Antium profectus fuit, ep. I. lib. II. ad Att. Hoc anno Q. Metellus Nepos prætor portoria Italiæ, lege lata, sustulit, auctore Dione. de portoriis Italiæ sublatis, Cicero epist. 16. lib. II. ad Att. Sub idem tempus, vt Dio scribit, Faustus Sullæ F. in honorem patris munus gladiatorium, et magnificum epulum populo dedit: balneas etiam cum oleo gratuito præbuit. Hoc munus Faustum testamento patris debuisse, Cicero pro Sulla cap. 19. ait. Hoc est Fausti adolescentis nobilissimi epulum magnificentissimum, ex quo Vatinium famem suam explesse, Cicero in interrogatione cap. 13. ait. Hoc anno conspiratio inter tres principes ciui-

tatis facta est, Cn. Pompeium, M. Crassum, et C. Cæsarem, de qua Cicero libro secundo ad Atticum.

Anno vrbis DCXCIV. *Ciceronis* XLVIII. COSS. *fuerunt*,

C. IVLIVS CAESAR, M. CALPVRNIVS BIBVLVS.

Cvm C. Antonio C. Octauius in Macedonia anno superiore successisset: vt cognoscitur epist. I. lib. II. ad Att. Antonius hoc anno lege Lutatia de vi accusatus est a M. Cœlio; vt est in Orat. pro Cœlio cap. 29. et 31. Antonium apud Cn. Lentulum Claudianum (sic lego ex libris olim impressis) reum factum esse a Q. Fabio Maximo, Cicero in Vatinium cap. 11. demonstrat. sed, an de eodem crimine Cœlius et Maximus accusarint, mihi non constat. Hoc Dio lib. XXXVIII. scribit, Antonium de Catilinæ coniuratione in iudicium adductum, propter male administratam prouinciam condemnatum fuisse. Cicero vero pro Cœlio cap. 31. ait, Antonio nocuisse opinionem maleficii cogitati. Antonius condemnatus in Cephallenia exsulauit, auctore Strabone lib. X. nec a M. Antonio fratris filio cum aliis exsulibus restitutus fuit. Philipp. II. cap. 23. De sua defensione Cic. pro domo cap. 16. ita inquit: *Hora fortasse sexta diei quæstus sum in iudicio, cum C. Antonium collegam meum defenderem, quædam de republ. quæ mihi visa*

visa sunt ad illius miseri causam pertinere: hac homines improbi ad quosdam viros fortes longe aliter, atque a me dicta erant, detulerunt. hora nona, illo ipso die, tu es adoptatus. Hinc Suetonius in Iulio cap. 20. *Cicerone in iudicio quodam deplorante temporum statum, P. Clodium inimicum eius, frustra iampridem a patribus ad plebem transire nitentem, eodem die, horaque nona traduxit.* Transiit Clodius ad plebem adoptione, quæ arrogatio dicitur. adoptatus fuit a P. Fonteio: contra quam adoptionem Cicero pro domo sua disputat. de eadem Suetonius in Tiberio cap. 2. *P. Clodius, ob expellendum vrbe Ciceronem, plebeio homini, atque etiam natu minori in adoptionem se dedit.* In hac adoptione Cæsar legem Curiatam tulit, Pompeius in auspicio fuit: epist. 7. et 12. lib. II. ad Att. de harusp. resp. cap. 23. Tullius mense Aprili et Maio extra vrbem Antii, in Pompeiano, Formiano, et Arpinati in litteris vixit: ibique epist. quartam et sequentes vsque ad 18. lib. II. ad Atticum misit. Attico deinde in Epirum profecto, Cicero se Romam recepit, et ea, quæ in sequentibus epistolis leguntur, ad Atticum scripsit. Consiliis publicis nullis, vt est epist. 23. intererat, totumque se ad forensem operam laboremque contulerat. Tum A. Thermus bis, Cicerone defendente, absolutus est: pro Flacco. cap. 39. Tum quoque L. Valerius Flaccus, qui ex prætura, quam Cicerone consule gesserat, Asiam prouinciam obtinuerat,

rat, a D. Lælio repetundarum accusatus, a Q. Hortensio et M. Cicerone defensus est. Ciceronis oratio exstat: de Hortensii defensione vide epist. vlt. lib. II. ad Att. Hoc anno P. Vatinius, qui in Dionis libris Πάπλιος Ἀτίνιος non sine mendo nominatur, tribunus pl. Cæsari consuli in omni re obsecutus* est, eaque gessit, quæ a Cicerone in interrogatione in Vatinium reprehenduntur. Lege Vatinia Cæsari data in quinquennium fuit Gallia citerior cum Illyrico, et tribus legionibus; quibus Senatus Galliam vlteriorem cum alia legione adiecit: Dio lib. XXXVIII. Plutarchus, Suetonius in Iul. cap. 22. et Orosius lib. VI. cap. 7. In hoc imperio Cæsar Ciceronem sibi legatum esse volebat; lib. I. ad Atticum epist. 19. et epist. 18. *A Cæsare*, inquit, *valde liberaliter inuitor in legationem illam, sibi vt sim legatus.* et de prouinciis coss. cap. 17. *Me, vt sibi essem legatus, non solum suasit, verum etiam rogauit.* Consul Cæsar leges multas tulit, quæ ab ipso Iuliæ sunt appellatæ: de quibus Dio lib. XXXVIII. et Cicero de haruſ. Resp. cap. 23. *Tum leges Iulias, contra auspicia latas, et hic et in concionibus dicere.* Tulit præterea, vt ager Campanus iis, qui ternos pluresve liberos haberent, diuideretur: Suetonius in Iul. cap. 20. et Velleius lib. II. cap. 44. Curatores etiam, qui agros diuiderent,

* An Gruteri fuit, pro hac voce edere *obscurus*, et aliorum omnium ita sequi?

rent, constituit Vigintiuiros ex iis, qui plurimos honores gessissent, atque ad eam rem quam maxime idonei essent, auctore Dione initio libri XXXVIII. Suetonius quoque in Augusto cap. 4. XX. viros agrum Campanum plebi Iulia lege diuisisse, ait. In his fuit Cosconius, quo mortuo Cicero in eius locum inuitatus fuit, epist. 19. lib. II. ad Att. in iisdem fuit Cn. Tremellius Scrofa, quo de Varro lib. I. de re rust. cap. 2. nominat eosdem Frontinus et Plinius lib. VII. cap. 52. Sed Cicero XX. viratum repudiauit, quod Quinctilianus libr. XII. cap. I. scribit: et ipse epist. 2. lib. IX. ad Atticum de Cæsare inquit: *Repudiari se totum, magis etiam quam olim in XX. viratu putabit: ac solet, cum se purgat, in me conferre omnem illorum temporum culpam; ita me sibi fuisse inimicum, vt ne honorem quidem a se accipere vellem.* Paterculus quoque in commemoratione exsulii Ciceronis addit lib. II. cap. 45. *Hoc sibi contraxisse videbatur Cicero, quod inter XX. viros diuidendo agro Campano esse noluisset.* Hic scrupulum iniicit oratio de prouinciis coss. in qua cap. 17. Cicero ait, se a Cæsare fuisse rogatum, vt quinque viratum acciperet, eumque se obstinatione quadam sententiæ repudiasse. præterea quinqueuiri nominantur epist. 7. lib. II. ad Att. Sunt viri doctissimi, in rebus Romanis cognoscendis diu multumque versati, qui scribunt, Cæsarem ad æstimationem agri Campani XX. viros creasse; ac præterea quinque, qui æstimatum di-

uiderent. Dant illi quidem testem in hanc rem Dionem: sed verba, quibus hoc demonstretur, in Græca eius historia inuenire equidem adhuc nulla potui. Comitiis tribuniciis P. Clodius Pulcher tribunus pl. factus fuit opera Cæsaris; vt scribit Dio, et Plutarchus in Cæsare. Etsi autem Pompeius Clodium omni cautione, fœdere, exsecratione deuinxerat, nihil in tribunatu contra Ciceronem esse facturum; vt est pro Sextio cap. 7. ille tamen in fide non mansit; sed tribunus pl. factus, continuo se in Ciceronem conuertit. qua de re dicemus, si prius illud admonuerimus, hunc tertium fuisse annum imperii Q. Ciceronis in Asia. quo ad duos priores adiuncto, M. Cicero epistolam illam pulcherrimam, quæ est prima lib. 1. ad Q. Fratrem, misit: in qua omnia præcepta bene administrandæ prouinciæ ita persequitur, vt amplius nihil requiri possit. Eiusdem anni vltimis mensibus scripsit epistolam secundam ad Fratrem, vt ex ipsa cognoscitur.

Anno vrbis DCXCV. *Ciceronis* XLIX. COSS. *fuerunt*,

L. CALPVRNIVS PISO CAESONINVS, A. GABINIVS.

PRAETORES huius anni a Suetonio in Iulio cap. 23. nominantur duo, C. Memmius, et L. Domitius. C. Memmium prætorem ex lege Licinia et Iunia edixisse, vt Vatinius adess-

adesset die tricesimo, Cicero in Vatinium cap. 14. ait. Piso, et Gabinius sunt duo funesti, non consules, sed latrones atque euersores reip. quos suis coloribus Cicero multis locis depinxit: vt in orat. post reditum cap. 4. pro domo cap. 9. pro Sextio cap. 7. seqq. de prouinciis cos. cap. 3. seqq. in Pisonem cap. 4. seqq. et alibi. His consulibus sedentibus, inspectantibus, atque adeo adiuuantibus, M. Tullius, conseruator patriæ, a sceleratissimo tribuno pleb. in exsulium eiectus est. Clodius enim vt Dio lib. XXXVIII. scribit, sperans, facile se Ciceronem oppressurum, si prius se natum, equites et plebem sibi conciliasset, quatuor leges, populares illas quidem, sed reipubl. perniciosas, initio huius anni, quod Cicero in Pisonem cap. 4. seq. significat, tulit: vnam vt frumentum populo gratis daretur; alteram, ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de coelo seruaret; tertiam de collegiis restituendis, nouisque instituendis; quartam, ne quem Censores in senatu legendo præterirent, neue qua ignominia afficerent, nisi qui apud eos accusatus, et vtriusque Censoris sententia damnatus esset. hæc Asconius in Pisonianam, Dio libr. XXXVIII. et Cicero passim. Alias deinde rogationes idem Clodius vno eodemque tempore promulgauit; vnam de prouinciis consulum nominatim, alteram de Ciceronis pernicie, vt ait pro Sextio. cap. 10. Pactus enim cum consulibus, Gabinio Syriam, Babylonem, Persas; Pisoni Achaiam, Thessaliam, Græ-

Græciam, Macedoniam, omnemque Bœotiam dedit. Cicero De prouinciis cos. et in aliis Orationibus. Ad Ciceronis perniciem lex illa pertinebat, qua tulit; *Qui ciuem Rom. indemnatum interemisset, ei aqua et igni interdiceretur: cuius verbis etsi non nominabatur Cicero, tamen solus petebatur*, inquit Paterculus lib. II. cap. 45. idemque scribit Dio lib. XXXVIII. atque iccirco Tullius hoc *priuilegium* appellat. vide Orat. pro domo cap. 14. Reus igitur Cicero, vt Plutarchus scribit, vestem mutauit, et sordidatus populo supplicauit. Tum Clodius illi omnibus vicis occurrebat, stipatus hominibus contumeliosis et temerariis: qui petulanter mutationem vestis, et habitum Ciceronis exagitantes, multisque locis luto et lapidibus in eum coniectis, supplicationes impediebant. Cum Cicerone tamen primum omnis fere ordo equester vestem mutauit: eumque nobilissimi adolescentes, numero ad XX. millia, sordidati, deprecatores eius salutis, comitabantur. Deinde cum senatus frequens conuenisset, vt vestem tanquam in publico luctu mutandam censeret; idque consules vetarent, et Clodius cum armis ad curiam versaretur: senatores non pauci e senatu, vestibus discissis et clamore sublato, se proripuerunt. Hactenus Plutarchus. Dio lib. XXXVIII. tradit, equites in Capitolium tunc conuenisse, atque ad consules et senatum misisse legatos non solum e suo ordine, verum etiam senatores duos; Q. Hortensium, et C. Curionem; qui pro

Ci-

Cicerone deprecarentur. Vnde Cicero pro Sextio cap. 11. ait: *Cum incredibilis in Capitolium multitudo ex tota vrbe, cunctaque Italia conuenisset, vestem mutandam omnes, meque omni ratione defendendum putarunt.* erat tum senatus in æde Concordiæ, et Gabinium consulem, Pisone absente, orabat. equites quoque Rom. et omnes boni veste mutata se pro Ciceronis capite ad pedes Gabinii proiecerunt: quorum precibus ab illo repudiatis, vir incredibili fide, magnitudine animi, constantia, L. Mummius ad senatum de rep. retulit; senatusque frequens vestem pro Ciceronis salute mutandam censuit, pro Sextio cap. 11. Dio hunc Mummium vocat L. Ninnium Quadratum; et scribit, eum populo auctorem fuisse, vt tanquam in aliqua publica calamitate vestem pro salute Ciceronis mutaret. *Pro me*, inquit Cicero post reditum ad Quir. cap. 3. *senatus, hominumque præterea viginti millia vestem mutauerunt.* Sed consules edixerunt, vt ad suum vestitum senatores redirent. vide orationes post reditum ad Quir. cap. 5. in senatu cap. 7. pro domo cap. 21. pro Sextio cap. 14. et in Pisonem cap. 8. Tum Gabinius L. Aelium Lamiam equestris ordinis principem relegauit: quod Dio lib. XXXVIII. dicit ἐκ τῆς πολιτείας ἐξήλασε. meminit Cicero post redit. in senatu cap. 5. pro Sextio cap. 12. in Pisonem cap. 27. et epist. 16. lib. XI. Famil. Itaque Cicero non solum a consulibus, verum etiam a Cn. Pompeio proditus, et derelictus, maluit vrbe cedere, quam

quam bonorum vitam seruis armatis obiicere: quod ipse in orationibus non semel testatur. Habebat domi suæ Mineruæ signum, idque longo tempore religiosissime coluerat. Cum autem ex vrbe discessurus esset, hoc signum in Capitolium delatum ibi dedicauit, et subscripsit, MINERVAE CVSTODI VRBIS: Plutarchus et Dio. Hæc est illa Minerua custos vrbis: de qua Cicero epist. 25. lib. XII. famil. et lib. II. de legibus cap. 17. Dio libr. XLV. Ἀθηνᾶν φυλακίδα nominat. Discedentem M. Tullium omnes boni flentes prosecuti sunt, vt ipse pro domo cap. 22. ait. Cessisse vrbe Ciceronem puto mense Martio extremo. nam, vt ex Plutarchi Cæsare, et primo Commentario de bello Gallico cap. 6. seq. intelligitur, cum Heluetios a. d. v. cal. Apr. de finibus suis exire constituisse, Cæsar cognouisset: maturauit ab vrbe proficisci, atque octauo die ad Rhodanum peruenit; neque tamen prius Cæsar ad exercitum abiit, quam Ciceronem per Clodium Italia expulisset, auctore Plutarcho. Vbi compertum fuit Ciceronem discessisse: Clodius de exsulio eius ad populum tulit, atque edictum proposuit, vt illi aqua et igni interdiceretur, et ne intra quingenta millia passuum ab Italia tecto reciperetur. Hæc Plutarchus in Cicerone: quibus gemina scribit Dio lib. XXXVIII. in eo tamen dissentit, quod Ciceroni lege Clodia irrogatum fuisse ait, ne intra stadium tria millia septingenta quinquaginta, id est millia passuum CCCLXIX. fere, ab vrbe illi esse liceret. Cicero epist. 4. lib. III. ad Att.

in

in lege hoc correctum fuisse ait, vt sibi vltra quadringenta millia liceret esse. Dio hoc quoque legi adiectum fuisse tradit, vt, si Tullius intra spatium definitum visus fuisset, et ipse, et qui eum recepissent, impune interficerentur. hinc Cicero pro domo cap. 20. *Pœna est, qui receperit: quam omnes neglexerunt.* Pœnam neglectam fuisse, omnibus reuerentibus M. Tullium, comiterque excipientibus et prosequentibus, Plutarchus quoque scribit. Clodius præterea villas Ciceronis eiecti inflammauit, et domum in palatio incendit, atque in area templum libertatis extruxit: Plutarchus, Dio et Cicero pro domo cap. 42. seq. Bona diripiebantur, atque ad consules deferebantur. columnæ marmoreæ ex ædibus ad socrum Pisonis portabantur: in fundum autem Gabinii vicini consulis, non modo instrumentum aut ornamenta villæ Tusculanæ, sed, etiam arbores transferebantur. hæc Cicero pro domo cap. 24. post reditum in senatu cap. 7. pro Sextio cap. 24. et in Pisonem cap. 11. templum Libertatis, νεὼν ἐλευθερίας, Cicero libr. II. cap. 17. de legibus templum Licentiæ vocat. Pulsum M. Tullium pedibus iter per Lucaniam Siciliam versus fecisse, Plutarchus scribit. Naricæ Locridis fuit VI. Idus Aprilis, ibique scripsit epistolam secundam lib. III. ad Att. Inde Cicero Vibonem venit, quod est oppidum Lucaniæ ad fretum, et a Locris conditum prius Hipponium appellatum fuit, Strabo lib. VI. Cæsar. III. de bello Ciuili cap. 101. Ibi, vt Plutarchus scribit,

bit, Vibius homo Siculus, qui cum alia multa commoda ex Ciceronis amicitia perceperat, tum eo consule præfectus fabrum fuerat, illum in ædes quidem non recepit, sed fundum se ipsi adsignaturum denuntiauit. Sic illa Plutarchi verba, χωρίον δὲ καταγράψειν ἐπηγγείλατο, ego iam pridem conuerteram: cum præsertim alibi quoque verbum καταγράφειν pro attribuere et assignare vsurpatum notassem, vt περὶ φιλαδελφίας: ἕτεροι δὲ, παλλακίσι καὶ πόρναις οἰκίας καὶ ἀγροὺς καταγράφοντες, ὑπὲρ οἰκοπέδου καὶ γωνίας πρὸς ἀδελφοὺς διαμονομαχοῦσι. Merito igitur Xylander noster a Bocchii et Corradi falsis interpretationibus discessit. Cicero se ad Vibonem in fundo Sicæ fuisse, ad Atticum scribit, epist. 2. et 4. lib. III. Siciliam, quam Cicero petebat, eo tempore obtinebat C. Virgilius (Γάϊος Οὐεργῖνος est apud Plutarchum) prætor is Ciceroni scripsit, ne in Siciliam veniret. quare consilio repente mutato, iterum a Vibone Brundisium terra petere contendit; vt ipse pro Plancio cap. 40. narrat. In eo itinere III. Idus April. Thurii scripsit epist. 5. libr. III. ad Att. et XIV. cal. Maii Tarenti, sequentem. eodemque die se Brundisium venisse, epistola 7. eiusdem libri scribit. vrbem ipsam ingressus non est: sed in hortos M. Lenii Flacci se contulit, pro Plancio cap. 41. meminit etiam in Sextiana cap. 63. Apud M. Lenium dies XIII. fuit epist. 4. lib. XIV. Famil. Pridie Cal. Maii, cum Brundusio proficiscens Dyrrhachium vento secundo transmitteret atque aduersus ex alto reflasset,

re-

reiectus est: deinde iterum in altum profectus, Dyrrhachium peruenit. vbi, cum e naui in terram egressurus esset, terræ motum et maris conuulsionem exstitisse ferunt: vnde haruspices coniiciebant, illius exsulium non fore diuturnum, quod hæc mutationis signa essent. Hæc Plutarchus. Dyrrhachio aliquorum dierum viam in Macedoniam, ad Planciumque perrexit, et cum eo Thessalonicam x. Calend. Iunii venit: pro Plancio, cap. 41. et epist. 8. lib. III. ad Att. Thessalonicæ Cn. Plancius sua liberalitate Ciceronem per menses septem retinuit. quo tempore plures epistolas ad Atticum scripsit, quæ lib. III. ab octaua vsque ad XXII. leguntur. Interim Q. Cicero, cum iam Asiam per triennium obtinuisset, de prouincia ante Cal. Maii decessit, epist. 9. lib. III. ad Att. Fratrem aliquanto post suum discessum ex prouincia venisse, ait pro domo cap. 23. meminit quoque in Sextiana cap. 31. Itaque M. Cicero, Idibus Iunii ad eum misit epist. 3. lib. I. et deinceps sequentem. Tertio Non. Octob. Thessalonica ad Terentiam vxorem misit epist. 2. libr. XIV. Famil. Redeamus nunc ad acta vrbana. Cicerone expulso, Clodius legem promulgauit de Ptolemæo rege Cypri, vt bona eius publicarentur, et regnum in prouinciæ formam redigeretur; idque negotium M. Catoni mandatum est: quo de Cicero sæpe, Plutarchus in Catone, Appianus lib. II. Dio lib. XXXVIII. Cal. Iunii, vt est in orat. pro Sextio cap. 27. seq. decreuit Senatus frequens de Ciceronis reditu, dissen-

tiente nullo, referente L. Mummio tribuno pleb. intercessit Aelius Ligus. Pompeius quoque illo tempore se accusans, vt Plutarchus scribit, quod Ciceronem prodidisset, de illius reditu, amicorum opera adiutus, agere cœpit. Resistente Clodio, placuit Senatui, nihil in rep. decernere, nulla de re agere, nisi Cicero ab exsilio reuocaretur. Hinc Cicero pro Sextio cap. 31. *Omnia senatus reiiciebat, nisi de me primum consules retulissent.* et in Pisonem cap. 13. *An tum eratis consules, cum quacunque de re verbum facere cœperatis, aut referre ad senatum, cunctus ordo reclamabat; ostendebatque, nihil esse vos acturos, nisi prius de me retulissetis?* de eadem re vide epist. 24. libr. III. ad Att. Initur deinde consilium de interitu Cn. Pompeii, ait Cicero pro Sextio cap. 32. quam rem Asconius in Milonianam cap. 14. sic exponit: *Cum* III. *Idus Sext. Pompeius in senatum venisset, dicitur seruo P. Clodii sicam excidisse, eaque ad Gabinium consulem delata, dictum est, seruo imperatum a P. Clodio, vt Pompeius occideretur. Pompeius statim domum rediit, ex eo domi tenus.* et Cicero pro Milone c. 7. *Comprehensus est in templo Castoris seruus P. Clodii, quem ille ad C. Pompeium interficiendum collocarat. extorta est confitenti sica de manibus, caruit foro Pompeius postea, caruit senatu, caruit publico.* Huc pertinet illud paradox. IV. Ante senatum tua sica deprehensa est. et in Pisonem cap. 12. *Deprehensus cum ferro ad senatum is, quem ad*

Cn.

Cn. Pompeium interimendum collocatum fuisse constabat. Meminit etiam pro domo c. 25. Quarto Cal. Nouembris octo tribuni pleb. de Ciceronis reditu legem promulgarunt: iisdemque referentibus P. Lentulus cos. designatus, præstantissimam de Cicerone sententiam dixit; pro Sextio cap. 32. post red. in senatu cap. 4. et epist. 23. lib. III. ad Att. Thessalonica Cicero se Dyrrhachium recepit: ibique VI. Cal. Decembr. scripsit ad Terentiam epist. 1. lib. XIV. famil. et partem epistolæ 23. lib. III. ad Attic. pridie Cal. Decemb. inde misit ad Terentiam epist. 3. lib. XIV. et ad Atticum epist. 22. libr. III. et deinceps quatuor reliquas eiusdem libri. Exierunt deinde paludati in prouincias consules, Piso in Macedoniam, Gabinius in Syriam; Cicero pro Sextio cap. 33. IV. Idus Decembr. noui tribuni pleb. T. Annius Milo, P. Sextius, C. Sestilius, M. Cispius, T. Fadius, M. Curtius, C. Messinius, Q. Fabricius, Sext. Atilius Serranus, et Numerius Quintius; magistratum inierunt; pro Sextio cap. 33. et post reditum in senatu. cap. 8.

Anno vrbis DCXCVI. *Ciceronis* L. COSS. *fuerunt,*

P. CORNELIVS LENTVLVS SPINTHER, Q. CAECILIVS METELLVS NEPOS.

PRAETORES eodem anno fuerunt L. Cæcilius, M. Calidius, C. Septimius, Q. Valerius, P. Cras-

P. Craſſus, Sext. Quintilius, C. Cornutus, et Ap. Claudius Pulcher, Cicero poſt reditum in Senatu cap. 9. Calendis Ianuarii P. Lentulus, ſimulac de ſolenni religione retulerat, nihil humanarum rerum ſibi prius, quam de Cicerone agendum iudicauit. cum princeps rogatus ſententiam L. Cotta dixit, nihil de Cicerone actum eſſe iure, nihil more maiorum, nihil legibus, propterea que lege illi opus non eſſe: verum Pompeius cenſuit, vt ad ſenatus auctoritatem populi beneficium adiungeretur. atque eo die confecta res eſſet, niſi Sex. Atilius tribunus pleb. non auſus intercedere, noctem ſibi ad deliberandum poſtulaſſet. Hæc Cicero poſt redit. ad Quirites cap. 5. pro domo cap. 26. pro Sextio cap. 34. lib. III. de legibus cap. 19. Poſtea res acta eſt in ſenatu alia nulla; et cum variis rationibus impediretur, voluntate tamen perſpecta ſenatus, cauſa ad populum VIII. Cal. Febr. fuit delata: quo die Clodiani, cæde in foro maxima facta, flumine ſanguinis reditum Ciceronis intercludendum putauerunt. poſt reditum ad Quirites cap. 5. et pro Sextio cap. 35. Clodius enim, vt Dio lib. XXXIX. ſcribit, illo die, cum lex ad populum ferretur, acceptis a fratre Appio gladiatoribus, quos ille in funere Marci propinqui ſui daturus erat, impetu in multitudinem facto, multos vulnerauit, multosque occidit. Tum in foro tribuni pleb. vulnerati fuerunt, et Q. Cicero inter cadauera tanquam occiſus iacuit: Plutarchus, et Cicero pro Sextio cap. 35. Crudeliſſimæ cædis eo tempore in foro factæ, mentio

io eſt etiam in Miloniana cap. 14. Clodium
Milo tum de vi poſtulauit: ſed in iudicium non
ıdduxiſſe Dio ſcribit; quod nondum creati eſ-
ent Quæſtores, per quos iudicum ſortitionem
ieri oporteret, Neposque Prætori edixiſſet,
ıe quod iudicium, ante quam iudices ſorte de-
igerentur, fieri pateretur. Quæſtores autem,
ıiſi habitis prius comitiis ædilitiis, quibus hac
e cauſa mora potiſſimum afferebatur, creari
ıon poterant. In hanc ſententiam Dio: Cice-
o vero in Sextiana cap. 41. ait, conſulem,
rætorem, tribunum pleb. noua noui generis
dicta propoſuiſſe; ne reus adeſſet, ne citare-
ur, ne quæreretur, ne mentionem omnino
uiquam iudicum, aut iudiciorum facere lice-
et. quo pertinet illud de haruſp. reſponſ.
ap. 24. *Reſtiterunt etiam, ne cauſam dice-
et.* Quare, cum Milo videret iudicia eſſe
ıblata: ne Clodius omnia vi poſſet efficere,
urauit, inquit idem poſt redit. in ſenatu.
ap. 8. Emit enim gladiatores, vt Dio ſcribit.
e quibus Cicero lib. II. cap. 17. de officiis: *Sed
onori ſummo nuper noſtro Miloni fuit, quod
ladiatoribus emtis reipub. cauſa, quæ ſalu-
e noſtra continebatur, omnes P. Clodii co-
atus furoresque compreſſit.* Senatus autem
ıulto ante, quam lex de Ciceronis reditu fuit
ta, gratias agendas cenſuit ciuitatibus iis,
uæ M. Tullium ciuem optime de rep. meritum
cepiſſent: pro domo cap. 32. in Piſonem
ıp. 15. Parad. IV. et Plutarchus. Idem decre-
t, vt qui prouincias cum imperio obtinerent,
ıi quæſtores legatique eſſent, ſalutem et vi-

 tam

tam Ciceronis custodirent; pro Sextio cap. 60. Idem ad M. Tullii salutem auxilium omnium ciuium cuncta ex Italia, qui remp. saluam esse vellent, implorauit; in Pisonem cap. 15. Factum enim S. C. fuit, vt litteris consularibus cuncta ex Italia omnes, qui rempub. saluam vellent, conuocarentur. pro Sextio. cap. 60. post redit. in senatu cap. 9. et pro domo. cap. 27. Cum igitur Ciceronis capitis seruandi causa Romam vno tempore, quasi signo dato, Italia tota conuenisset: Lentulus consul senatum frequentissimum in Capitolium conuocauit. in Pisonem cap. 15. et post redit. in senatu c. 10. Ibi tum in templo Iouis opt. max. Q. Metellus Nepos cos. qui Ciceroni vel maxime ex magnis contentionibus reipub. fuerat inimicus, permotus cum auctoritate senatus, tum P. Seruilii incredibili grauitate dicendi, absens cum M. Tullio rediit in gratiam: post red. in senatu cap. 10. pro Sextio cap. 33. et 62. et de prouinciis cos. cap. 9. hic cum mitissimam orationem in senatu habuisset, Cicero ad eum misit epist. 4. lib. v. Famil. in qua studium et auxilium eius implorat. Illo vero die, cum ccccx. senatores, magistratusque omnes in Capitolio adessent: Cn. Pompeius de scripto sententia dicta, vni Ciceroni patriæ conseruatæ testimonium dedit; cuius sententiam frequentissimus senatus, vno P. Clodio dissentiente, secutus, M. Tullium ab exsulio reuocauit. post redit. in senatu cap. 10. pro Sextio cap. 61. et pro Milone cap. 15. de hoc S. C. in æde Iouis Mariana facto, Cic. lib. 1. cap. 28.

de

le Diuinat. et Valerius lib. 1. cap. 7. Facie-bat eodem die ludos in theatro consul: quo cum ipse et senatores spectatum e senatu venissent, S. C. illud de Ciceronis reditu factum, frequentissimo theatro, incredibili clamore et plausu comprobatum est, pro Sextio cap. 55. et libr. 1. cap. 28. de Diuinat. Postridie de Ciceronis salute P. Lentuli consulis, Cn. Pompeii ceterorumque principum, in his P. Seruilii, et L. Gellii celeberrimae et grauissimae conciones fuerunt: post redit. ad Quirites cap. 6. seq. et in senatu cap. 11. pro Sextio cap. 50. in Pisonem cap. 15. Eodemque die decretum in Curia fuit, populi ipsius Rom. et eorum, qui ex municipiis conuenerant, admonitu: ne quis de cœlo seruaret; ne quis moram vllam afferret; si quis aliter fecisset, eum plane euersorem Reip. fore, idque senatum grauissime laturum. et vt statim de eius facto referretur, addidit etiam senatus illud: nisi diebus quinque, quibus agi de Cicerone potuisset, esset actum, rediret in patriam dignitate omni recuperata. decreuit eodem tempore senatus, vt iis, qui ex tota Italia salutis M. Tullii causa conuenerant, agerentur gratiae; atque vt iidem ad res redeuntes, vt venirent, rogarentur: pro Sextio cap. 62. post red. in senatu cap. 9. et 11. et in Pisonem cap. 15. Legem deinde omnes magistratus, praeter Appium praetorem, duosque tribunos pleb. N. Quintium et Sex. Atilium, ex S. C. promulgarunt, in Pisonem cap. 15. Cum ferendae legis dies, qui fuit pridie Non. Sextil.

venisset, et Lentulus consul, idemque lator legis comitia centuriata in campo Martio haberet: P. Clodius legem de more dissuasit; quod Dio libro xxxix. plane scribit, et Cicero pro domo cap. 33. ita significat: *illa fuit pulchritudo populi Rom. illa forma, quam in campo vidisti tum, cum etiam tibi contra senatus totiusque Italiæ auctoritatem et studium dicendi potestas fuit.* et in Sextiana cap. 50. *Cedo nunc eiusdem illius inimici mei de me, eodem ad verum populum in campo Martio concionem.* Verum, cum et alii, et Pompeius in primis legem suaderet, vt Dio scribit: summo consensu omnium centuriarum accepta fuit; cum nemini ciui vlla, quo minus adesset, iusta excusatio esset visa, nullis comitiis, vnquam multitudo hominum tanta, neque splendidior fuisset, in Pisonem cap. 15. Constat enim, vt idem pro domo sua cap. 28. ait, nullis vnquam comitiis Campum Martium tanta celebritate, tanto splendore omnis generis hominum, ætatum, ordinum floruisse. idem est in orat. post reditum ad Quir. cap. 8. in sen. cap. 11. Pridie Non. Sextil. ipso illo die, quo lex est lata, Cicero Dyrrhachio profectus, Brundisium venit Non. Sext. epist. 1. lib. iv. Att. Aduenienti Ciceroni tanquam totius Italiæ atque ipsius patriæ dexteram porrexerunt Brundisini: cum ipsis Nonis Sextil. idem dies aduentus M. Tullii fuisset, qui natalis idem Tulliæ filiæ, quæ ibi patri fuit præsto; idem etiam ipsius coloniæ Brundisinæ, idem Salutis: quæ res animad-

uer-

uersa a multitudine, summa Brundisinorum gratulatione celebrata est. pro Sextio cap. 63. et libr. IV. ad Att. epist. I. Brundisii cum esset in domo optimorum et doctissimorum virorum Lenii Flacci, et patris et fratris eius: ante diem VI. Id Sextil. cognouit litteris Quinti fratris, mirifico studio omnium ætatum, atque ordinum, incredibili concursu Italiæ, legem comitiis centuriatis esse perlatam: ibidem. Inde a Brundisinis honestissimis ornatus, iter via Appia Romam versus fecit. In itinere XXIV. dies consumsisse videtur; cum Sextilis tum XXIX. dierum esset. Brundisio profectus Neapolim, inde Capuam, Sinuessam, Minturnas, Formias, Terracinam, et demum Ariciam, pridie Non. Septembr. Romam venit: epist. I. lib. IV. ad Att. Toto autem illo itinere a Brundisio vsque Romam agmen perpetuum totius Italiæ vidit. neque enim regio fuit vlla, neque municipium, neque præfectura aut colonia, ex qua non publice ad Ciceronem venerint gratulatum. magnæ erant effusiones hominum ex oppidis, maximi concursus ex agris patrumfamilias cum coniugibus ac liberis. cumque viæ multitudine legatorum vndique missorum celebrarentur; vrbes Italiæ festos dies agere aduentus eius videbantur: in Pisonem cap. 22. et pro Sextio cap. 63. Ad vrbem ita venit, vt nemo vllius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, quin ipsi obuiam non venerit: epist. I. lib. IV. ad Att. itaque in Pisonem cap. 22. ait: *Vnus ille dies mihi quidem im-*

mortalitatis instar fuit, quo in patriam redii: cum senatum egressum vidi, populumque Rom. vniuersum: cum mihi ipsa Roma prope conuulsa sedibus suis ad complectendum conseruatorem suum procedere visa est. Cum venisset ad portam Capenam, qua via Appia ducit in vrbem; gradus templorum (in quibus fuit Martis et Camœnarum) ab infima plebe completi erant: a qua plausu maximo cum esset Ciceroni gratulatio significata, similis et frequentia, et plausus eum vsque ad Capitolium celebrauit; in foro et in ipso Capitolio miranda multitudo fuit. epist. I. lib. IV. ad Att. *Itaque ille vnus dies*, ait pro domo cap. 28. *quo die me popul. Rom. a porta in Capitolium, atque in domum sua celebritate, lætitiaque comitatum honestauit, tante mihi iucunditati fuit, vt tua mihi conscelerata illa vis non modo non propulsanda, sed etiam emenda fuisse videatur.* Plutarchus scribit, reuertenti Ciceroni tanta lætitia ciuitates, tanto studio homines obuiam venisse, vt infra veritatem sit, quod postea dixit, se humeris Italiæ Romam reportatum fuisse. dixit autem hoc in extrema oratione post reditum in senatu. Postridie in senatu, qui fuit dies Non. Septemb. senatui gratias egit ea oratione, quæ, *post reditum in senatu* inscripta, exstat. egit etiam populo Rom. gratias, altera oratione, quæ *post reditum ad Quirites* inscribitur. De vtraque Dio ita scribit: κατῆλθέτε οὖν ὁ Κικέρων, καὶ χάριν τῇ τε βουλῇ, καὶ τῷ δήμῳ, παρασχόντων αὐτῷ τῶν ὑπάτων

των, ϗ κατὰ τὸ συνέδριον, ϗ κατὰ τὴν ἐκκλησίαν ἔγνω. id eſt: *Rediit igitur Cicero, et gratias tum Senatui, tum populo, concione a Conſulib. data, in ſenatu, et in concione egit.* Eo biduo, cum eſſet annonæ ſumma caritas, homines primo ad theatrum venerunt: vbi, L. Cæcilio Rufo prætore ludos Apollinares faciente, ita infima concitata multitudo annonæ caritate tumultuata eſt, vt omnes, qui in theatro ſpectandi cauſa conſederant, pellerentur: deinde iidem ad Capitolium, vbi tum ſenatus habebatur, concurrerunt. cumque cædem et incenſionem Capitolii ſenatoribus minarentur, atque iccirco per eos dies, quibus ſenatus de annona habebatur, conſulares plerique abeſſent; quod tuto ſe negarent. poſſe ſententiam dicere: in Ciceronis ſententiam factum eſt S. C. atque ex eo lex promulgata, vt Pompeio per quinquennium omnis poteſtas rei frumentariæ toto orbe terrarum daretur. Cicero pro domo cap. 3. ſeqq. et epiſt. 1. lib. IV. ad Att. Aſconius in Milonianam cap. 14. Plutarchus in Pompeio et Dio lib. XXXIX. Secuta eſt deinde magna contentio de domo Ciceronis, quam Clodius Libertati conſecrauerat. populus eam comitiis centuriatis eodem iure eſſe iuſſerat, quo fuiſſet. verum ſenatus decreuerat, vt de eius religione ad Pontificum collegium referretur; vt eſt in orat. de haruſp. reſp. cap. 6. Apud pontifices pridie Cal. Octobr. Cicero pro domo dixit eam orationem, quæ exſtat: in qua primum reſpondet Clodio, qui actionem

nem eius de poteſtate rei frumentariæ Pompeio danda reprehenderat; deinde ſuam domum propter Clodii conſecrationem ſacram non eſſe, ſed ab omni religione vacuam atque puram, docet. Nam, vt Dio lib. xxxix. ſcribit, lationem legis Curiatæ, qua e patriciis ad plebem Clodius tranſierat, criminans; quod ex inſtituto maiorum per trinundinum promulgata non fuiſſet; omnem eius tribunatum, in quo de domo Ciceronis etiam conſtituerat, euertit, affirmans, nihil ab eo tribuno pleb. iure fieri potuiſſe, qui ipſe contra omne ius plebeius factus eſſet. atque ita pontificibus perſuaſit, vt ſibi aream, quæ ab omni religione vacua et pura eſſet, reſtituerent. Hactenus Dio. Itaque Cicero in Piſonem cap. 22. ait: *Me conſequentibus diebus in ea ipſa domo, qua tu me expuleras, quam expilaras, quam incenderas, Pontifices, Conſules, P. C. collocauerunt: mihique quod ante me nemini, pecunia publica ædificandam domum cenſuerunt.* in quem locum Aſconius legendus. Superficiem ædium conſules de conſilii ſententia æſtimarunt H-S. vicies, Tuſculanam villam H-S. quingentis millibus, Formianum H-S. ducentis quinquaginta millibus, epiſt. 2. lib. IV. ad Att. Eodem anno Ptolemæus rex Aegypti, cum, ingenti pecunia conſumta, vt rex atque ſocius populi Rom. appellaretur, eam vi ab Aegyptiis extorqueret; et cum hoc nomine, tum quod Cyprum a Romanis repetere, aut amicitiam eis renunciare nollet, apud ſuos offendiſſet: regno pulſus, Romam venit,

P. Len-

P. Lentulo etiam tum consule, cui Cilicia obtigerat, petens, vt in regnum restitueretur. Aegyptii quoque legatos, qui Regis crimina purgarent, miserunt. de quibus Dio et Cicero de harusp. respons. cap. 16. Ante diem tertium Non. Nouemb. expulsi fuerunt fabri de area Ciceronis. Quinti fratris domus primo fracta coniectu lapidum ex area Marci, deinde inflammata iussu Clodii; epist. 3. lib. IV. ad Att. hæc est vis illa nefaria, qua se cum fratre domo expulsum fuisse, ad Lentulum epist. 9. scribit. Cum autem Clodius saxis, et ignibus, et ferro vastitatem ædibus Ciceronis intulisset: decreuit senatus, eos, qui id fecissent, lege de vi, quæ est in eos; qui vniuersam Remp. oppugnassent, teneri; in orat. de harusp. responsis cap. 8. Quæ deinde, vsque ad VIII. Cal. Decemb. acta sunt, vide ep. 3. lib. IV. ad Att. IV. Idus Decemb. noui trib. pl. magistratum inierunt: e quibus a Cicerone lib. I. ep. 1. et 2. Fam. lib. II. ad Fratrem; et Dione lib. XXXIX. hi nominantur. P. Rutilius Lupus, C. Porcius Cato, C. Caminius, L. Racilius, Cn. Plancius, A. Plautius, Sex. Antistius Verus, et Cassius. Cum tribuni magistratum inissent, C. Cato turbulentus adolescens, nec imparatus ad dicendum, concionibus assiduis inuidiam et Ptolemæo simul, qui iam profectus ex vrbe erat, et P. Lentulo consuli paranti iam iter, concitare, secundo quidem populi rumore, cœpit. quod ex lib. XXII. Annal. Fenestellæ Nonius Marcellus refert. In quindecim legatis, quos Pompeius

sibi

ſibi rei frumentariæ cauſa legauerat, fuit Q. Cicero: qui cum eſſet in Sardinia, M. Cicero ad eum ſcripſit, quæ extremo huius anni menſe in ſenatu acta fuerunt, epiſt. I. lib. II. ad Frat.

Anno vrbis DCXCVII. *Ciceronis* LI. COSS. *fuerunt*,

CN. CORNELIVS LENTVLVS MARCELLINVS, L. MARCIVS PHILIPPVS.

IN collegio prætorum huius anni fuerunt, Cn. Domitius, Q. Ancharius, et C. Claudius Pulcher: vt pro Sex. cap. 53. lib. II. ad Frat. et in Cicerone Plutarchi cognoſcitur. M. Tullius initio huius anni omni ſtudio in id incubuit, vt P. Lentulo, qui Ciliciam pro conſule obtinebat, Ptolemæi regis reductio decerneretur. Argumento ſunt epiſtolæ, quæ, hoc tempore ad Lentulum miſſæ, lib. I. Fam. exſtant. Tum quoque orationem de rege Ptolemæo, cuius apud Aquilam, et Fortunatianum mentio eſt, habuiſſe videtur; cum regis Alexandrini reſtitutionem Lentulo ſua ſententia decerneret. XIV. Calend. Feb. Cicero ſcripſit ad Q. Fratrem epiſt. 2. lib. II. vbi ait, Comitia ædilitia, quibus Clodius ædilitatem petebat, edicta eſſe a. d. XI. Cal. Feb. Clodius ædilis factus, Miloni diem dixit, et de vi ad populum accuſauit; pro Sextio cap. 44. in Vatinium cap. 17. et lib. II. ad Frat. qua de re

Dio

Dio ita scribit: *Clodius simulatque aedilitatem, Marcellino et Philippo Coss. iniit, Miloni diem dixit, quod gladiatoribus rempub. obsedisset: quae enim ipse commiserat, quorumque nomine reus erat, ea illi crimini dabat; non quod Milonem condemnatum iri speraret, qui patronos magnos, in iis Pompeium et Ciceronem, habebat, sed vt per hanc causam et Milonem oppugnaret, et patronos eius vexaret.* IV. Non. Febr. Milo affuit: ei Pompeius aduocatus venit: producta dies est in VIII. Idus: quo die Pompeius, cum pro Milone apud populum diceret, clamore, conuicioque iactatus est, Clodiusque diem in Quirinalia, id est XIII. Cal. Mart. produxit: epist. 3. lib. II. ad Frat. et epist. 5. lib. I. Fam. Cicero autem iam ante diem tertium Cal. Feb. ad Atticum, ex Epiro in Italiam reuersum, miserat epist. 4. lib. IV. A. d. IV. Id. Feb. P. Sextius a M. Tullio Albinouano lege Lutaria de vi postulatus fuit, propter caedem, quam anno superiore, VIII. Cal. Feb. cum de Ciceronis reditu ageretur, in foro factam diximus. defensus fuit cum ab aliis, tum a Q. Hortensio, et M. Cicerone: cuius oratio pro Sextio exstat. Sextius absolutus fuit a. d. II. Id. Mart. epist. 4. lib. II. ad Frat. Oppugnauerat Sextium maxime P. Vatinius, qui etiam testimonium in illum dixerat. itaque Cicero Vatinium testem perpetua interrogatione accusauit: quae oratio separatim edita exstat; de qua Fabius lib. V. cap. 7. et Cicero epist. 9. lib. I. Famil. *Tota vero interrogatio mea*

(ora-

(orationem in Vatinium sic appellat) *nihil habuit aliud, nisi reprehensionem illius tribunatus: in quo omnia dicta sunt libertate, animoque maximo de vi, de auspiciis, de donatione regnorum.* III. Id. Feb. Cicero dixit pro Bestia de ambitu, apud prætorem Cn. Domitium, in foro medio, maximo conuentu. Prid. Id. T. Pomponius Atticus, Pilia vxore ducta, nuptias celebrauit: in quibus Cicero cœnauit, epist. 3. lib. II. ad Frat. Tulliam filiam Cicero anno proximo ante consulatum suum desponderat C. Pisoni L. F. Frugi; ep. 2. lib. I. ad Att. eius Amor, virtus, pietas in Ciceronem exsulantem, tanta fuit, vt supra nihil posset: epist. 1. et 3. lib. XIV. ad Fam. et in orat. post redit. Ei vero fructum pietatis suæ ferre non licuit: decessit enim anno superiore vt ex Sextiana cap. 31. et orat. in Vatinium cap. 11. cognoscitur. Quem cum Tullia hoc anno eluxisset; Cicero pridie Non. Apr. eam Furio Crassipedi despondit, eique VIII. Idus sponsalia præbuit: lib. II. ad Frat. epist. 5. vt Manutius nunc distinxit. Vnde scribit ad Attic. lib. IV. epist. 5. *Viaticum Crassipes præripit.* De hac coniunctione gratulatus quoque Lentulus Ciceroni fuit: cui Cicero respondet epist. 7. lib. I. ad Fam. Non. April. factum fuit S. C. in Ciceronis sententiam, vt de agro Campano frequenti senatu Idibus Maii referretur, epist. 9. lib. I. Fam. Cum autem Miloni dies in Nonas Maii prodita esset; Cicero Roma exiuit, villasque lustrauit: epist. 5. et 6. lib. II. ad Frat. Prodigia interim facta, vt

vt Dio lib. xxxix. ſcribit. Nam et in Albano monte ſacellum Iunonis; quod in menſa dedicatum orientem ſolem ſpectabat, ad ſeptentriones conuerſum eſt: fax a meridie ad Aquilonem porrigi viſa: lupus vrbem intrauit, terra mouit, ciues quidam fulmine icti ſunt: et in ægro Latinienſi auditus fuit ſtrepitus ſub terra cum fremitu. quæ cum haruſpices expiari vellent; iratos Deos eſſe, quod loca ſacra et religioſa profana haberentur, reſponderunt. Hanc occaſionem arripiens Clodius ædilis, habuit concionem de ſacris et religionibus; atque Ciceronis domum inter ea loca eſſe dixit, quæ conſecrata profana haberentur. itaque poſtridie Cicero defendens ſe in ſenatu, qui ex haruſpicum reſponſo decreuerat, vt de locis ſacris et religioſis conſules ad ſenatum referrent; orationem habuit de haruſpicum reſponſis, quæ exſtat: in qua haruſpicum reſponſa contra Clodium interpretatur. Tum quoque Cicero, vt Dio ſcribit, Milone et quibuſdam trib. pl. adhibitis, in Capitolium venit, et tabulas de exſulio ſuo, a Clodio trib. pl. fixas, deiecit. ſed Clodius cum fratre Caio, qui Prætor erat, interueniens, eas tum eripuit. poſtea vero obſeruata Clodii abſentia, rurſus in Capitolium aſcendit et tabulas inde ablatas, domum ſuam aſportauit. quod factum a Clodio reprehenſum cum Tullius in ſenatu, vt Plutarchus narrat, ſic defenderet, vt diceret, Clodium contra leges e patriciis ad plebem tranſiiſſe, ideoque nihil eorum, quæ geſſiſſet, ratum

habendum esse: Cato indignatus illi contradixit; non quod Clodium laudaret, cuius acta oderat; sed graue et violentum esse confirmabat, tot decreta, et res gestas senatusconsulto tolli, in quibus essent etiam ea, quæ ipse in Cypro et Byzantii gessisset. de quibus rebus præter historicos Cicero pro domo c. 8. et 25. in Sextiana cap. 28. seq. et alibi. Hoc etiam tempore actum in senatu fuit de stipendio exercitus Cæsaris: idque Cicero se non solum decreuisse, sed etiam, vt alii decernerent, laborasse ait in orat. de prouinciis cos. cap. 11. stipendii decreti meminit epist. 7. lib. 1. Fam. vbi et de decem legatis. de quibus sic in oratione de prouinciis eodem cap. *Actum est de decem legatis: quos alii omnino non dabant; alii exempla quærebant; alii tempus differebant; alii sine vllis verborum ornamentis dabant. in ea quoque re sic sum locutus, vt omnes intelligerent, me id, quod reip. causa sentirem, facere vberius propter ipsius Cæsaris dignitatem.* et pro Balbo c. 27. *Idem in angustiis ærarii victorem exercitum stipendio affecit: Imperatori decem legatos decreuit.* Hos decem legatos a Dione intelligi puto, cum de honoribus Cæsari habitis inquit: ὥς τε καὶ ἐκ τῆς βουλῆς ἄνδρας, ὡς καὶ ἐπὶ δεδουλωμένοις παντελῶς τοῖς Γαλάταις ἀποστεῖλαι. Nam re bene gesta, dispensandæ cohonestandæque victoriæ, vt Manlius apud Liuium lib. XXXVIII. c. 47. ait, Imperatoribus decem legati decernebantur. A. Gabinius, qui Syriam pro cos. tenebat, in Palæstina re bene gesta contra

Ariſtobuli filium Alexandrum, ipſumque Ariſtobulum, vt Ioſephus lib. xiv. Antiquitatum ſcribit, litteras Romam miſit: quibus et rem bene geſtam in bello nuntiauit, et ſupplicationem a ſenatu poſtulauit. Idibus Maii ſenatus frequens ſupplicationem Gabinio denegauit, epiſt. 7. lib. ii. ad Q. Fratrem, de prouinciis cos. cap. 6. et in Piſonem. cap. 17. ſeqq. Deinde, cum prouinciæ conſulares futuris conſulibus lege Sempronia eſſent decernendæ, vt in argumento orat. de prouinciis ſcripſi, et de quatuor prouinciis ſententiæ dictæ eſſent, de Syria, Macedonia, et duabus Galliis: M. Tullius rogatus ſententiam, orationem, quæ de prouinciis conſularibus exſtat, in Senatu habuit; in qua ſuadet, vt Syria et Macedonia futuris conſulibus decernantur, et Galliæ Cæſari non adimantur. Ante orationem de prouinciis in libris Ciceronis legitur Corneliana pro L. Cornelio Balbo: quam hoc anno a M. Tullio dictam eſſe ex eo ſuſpicor, quod de ſupplicatione, ſtipendio et decem legatis extrema fere oratione dicitur. ea enim hoc anno Cæſari decreta eſſe, non ſolum oratio de prouinciis docet; verum etiam epiſt. 7. lib. i. ad Lentulum: quam tametſi docti quidam ad ſecundum Conſulatum Pompeii et Craſſi referant; tamen hoc anno ſcriptam eſſe arguit, quod L. Racilius inter magiſtratus nominatur, quem Marcellino et Philippo coss. trib. pl. fuiſſe, ſupra diximus. Igitur Balbus, cum eſſet Gadibus in Hiſpania natus, ac bello Sertoriano Imperatoribus Romanis probatus;

bello confecto a Cn. Pompeio ciuitate Romana donatus: et quia per L. Cornelium hoc beneficium consecutus fuit, L. Cornelius Balbus vocatus est. Et inimici Cæsaris et Pompeii accusatorem compararunt, qui Balbo hoc tempore ciuitatis controuersiam mouit: negans eum iure et recte ciuitate donatum, cum ex fœderato populo, quo in numero Gaditanus erat, nemo posset, nisi is populus factus esset fundus, id est, auctor obstringendi se iure ciuium Romanorum, in ciuitatem venire. Defenderunt Balbum Marcus Crassus, Cn. Pompeius et Marcus Cicero. De Planciana, quæ suo loco non legitur, dicemus infra. Nunc de Cœliana dicendum. Hoc anno Ciceronem pro Marco Cœlio apud Cn. Domitium Prætorem dixisse, Corradus scribit. Manutius cum in Commentario in epistolam quintam libri secundi ad Q. Fratrem orationem pro Cœlio habitam, Marcellino et Philippo coss. scripsisset: exponens deinde epistolam duodecimam eiusdem libri, diem illi in biennium prodit, atque L. Domitio et Appio Claudio coss. Cœlium de vi accusatum, et defensum a M. Tullio facit. Res est non leuis, quæ et tanti viri animum in scribendo distraxerit, et aliis ancipitem curam cogitandi afferre possit. quare, an certi quid eruere queamus, experiamur. Quæstionem illam Cn. Domitium exercuisse, ipsa oratio demonstrat. Fuit autem Cneius Domitius prætor hoc anno, apud quem Ciceronem pro Bestia dixisse, indicauimus. Fuit quoque

alius

alius Domitius Prætor biennio post, apud quem Cœlius causam dicere debebat, ep. 12. lib. II. ad Fratrem. Cur autem Cœlium, lege Lutatia de vi reum factum, apud Domitium, qui his coss. non eum, qui biennio post præturam gessit, putem; illa me causa maxime mouet, quod Marcus Crassus vna cum Tullio Cœlium defendit. (nam interpretum inscitia, qui Crassum Cœlii accusatorem faciunt, ridenda: seu miseranda potius, quam refutanda) Cassius vero, cum anno insequenti consul paludatus exierit, Appio et Domitio coss. ne Romæ quidem fuit, nedum causas ibi orare potuit. Huc accedit, quod Alexandrinæ legationis princeps Dio Academicus, cuius interficiendi causa Cœlium aurum a Clodia sumsisse aduersarii arguebant, anno superiore fuerit occisus; auctore Dione lib. XXXIX. et Strabone in XVII. nec verisimile sit, accusatorem huius cædis crimen et accusationem in annos plures distulisse. Si quis obiiciet, Cn. Domitium, huius anni prætorem de ambitu quæsiuisse, Cœlium de vi accusatum fuisse: is si probauerit, singulos prætores tantummodo vni quæstioni præfuisse, magnum fecerit. Nec me mouet, quod Cœlius Appio et Domitio coss. reus inuenitur. quid enim obstat quæso, quo minus hoc tempore absolutus, a gente Clodia in iudicium retrahi potuerit? Quod Latomus putat, hanc orationem Appio et Domitio coss. ideo habitam quod Cn. Domitius, qui post illos Consul fuit, in eorum consulatu præturam gessisse videatur; tempori, quo ista scripsit, attribuito.

Hoc ergo maneat, Cœlium lege Lutatia de vi propter seditiones Neapolitanas, et alia crimina accusatum; de seditionibus Neapolitanis, et Alexandrinorum pulsatione Puteolana a M. Crasso; de auro, quod a Clodia sumsisse, et veneno, quod eiusdem Clodiæ necandæ causa parasse dicebatur, a M. Cicerone hoc tempore esse defensum. Q. Metellus Nepos ex Consulatu in Hispaniam profectus, eam prouinciam hoc tempore pro consule obtinebat; vnde τῆς Ἰβηρίας ἀνθύπατος a Plutarcho in Cæsare nominatur, videturque ex Hispania ad Ciceronem misisse ep. 3. lib. v. Famil. in qua de contumeliosis concionibus Clodii ædilis conqueritur. Clodius frater Nepotis appellatur etiam in orat. post redit. in senatu cap. 10. et pro domo cap. 27. non propter affinitatem, vt vulgo interpretes sibi persuaserunt; verum quia ἐν γένει αὐτῷ ἦν, vt Dio de Metello Celere ait, quem etiam Cicero de haruspicum respons. cap. 21. et pro Cœlio cap. 24. Clodii fratrem nominat. Fuerunt autem fratres patrueles, seu vt Iurisconsulti vocant, amitini. Cæcilia enim mater Clodii Metellorum amita fuit. Metellum Nepotem hoc tempore in Hispania decessisse, eumque a Cicerone intelligi epist. 9. lib. IV. ad Att. viri docti putant, quod si verum esset, Dionem lib. XXXIX. vbi res ab eo in prouincia gestas, exponit, prætermissurum fuisse non arbitror. Immo si iam in Hispania periit; est quod Pediano gratiam referat, qui illum mortuum in vitam reduxit, atque in choro nouem consularium, qui biennio post Scau-

rum

rum reum laudauerunt, collocauit. Vt vt sit, M. Tullius quinque epistolas libri quarti ad Att. nempe quartam, quintam, sextam, septimam, et octauam his consulibus scripsit. In sexta meminit epistolæ ad Lucceium missæ, quæ est 12. lib. v. Famil. qua vt res a se in consulatu gestas scribat, eum rogat. C. Iulius Cæsar, gestis hoc anno rebus illis, quas lib. III. commentariorum perscripsit, exercituque in Aulercis Lexobiisque, reliquis item ciuitatibus, quæ proxime bellum fecerant, in hibernis collocato, discedens in Italiam Lucæ hiemauit; auctore Plutarcho in Pompeio, Cæsare, et Catone. eoque Pompeium et Crassum extractos compulit, vt, detrudendi L. Domitii causa, qui palam minabatur, consulem se effecturum, quod prætor nequisset, ademturumque Cæsari exercitus; consulatum alterum peterent: Suetonius in Iulio cap. 24. Ita factum, vt Domitius, qui tot annos, quot habebat, designatus consul fuerat, consul fieri non potuerit, epist. 8. lib. IV. ad Attic. Cum autem Pompeius et Crassus intra legitimum tempus professi non essent: effecerunt cum per alios, tum per C. Catonem trib. pleb. ne eo anno comitia haberentur; vt, cum res ad interregnum rediisset, legitime consulatum et peterent et capesserent. Dio lib. XXXIX.

Anno vrbis DCXCVIII. *Ciceronis* LII. COSS. *fuerunt*,

CN. POMPEIVS MAGNVS II. L. LICINIVS CRASSVS II.

CONSVLATVM ex interregno inierunt, Dio lib. XXXIX. reliquosque magistratus suo arbitratu crearunt: quo tempore M. Cato in præturæ petitione repulsam tulit, et P. Vatinius in locum eius creatus est; Plutarchus et Dio. Cicero mense Aprili fuit ruri, ibique scripsit epist. 9. lib. IV. ad Att. cum Puteolis magnus esset rumor, Ptolemæum esse in regno. Eum A. Gabinius hoc anno iussu Pompeii in regnum restituit; Plutarchus in Pompeio, Dio lib. XXX. Strabo lib. XII. et XVII. Meminit Cicero in Pisonem cap. 21. quam orationem his consulibus dixit, auctore Asconio; cum Piso, reuocatus e Macedonia sententia Ciceronis, quam anno superiore de prouinciis consularibus dixerat, de insectatione eius in senatu conquestus, atque in eum inuectus esset. Pisoni Cicero respondit oratione illa, quæ exstat, et continet Pisonis vituperationem, quamuis in senatu sit habita loco sententiæ; vt testatur Quintil. lib. III. cap. 9. Dicta fuit oratio, auctore Asconio, ante paucos dies, quam Cn. Pompeius ludos faceret, quibus theatrum a se factum dedicauit. magnificentissima vero Pompeii munera secundo consulatu fuerunt, ait Cicero lib. II.

cap.

cap. 16. de Officiis, et demonſtrat epiſt. i. lib. vii. Famil. ad Marium. De theatro et ludis Pompeii, Plutarchus in eius vita, Dio lib. xxxix. Tacitus Annal. lib. xiv. cap. 20. Plinius lib. viii. cap. 7. Hoc anno Cicero ad Quintum fratrem ſcripſit epiſt. 8. 9. et 10. lib. ii. et ad Atticum, ep. 9. 10. 11. et 12. lib. iv. In duodecima facit mentionem profectionis Craſſi in Syriam: antequam vero paludatus exiret, cœnauit apud Ciceronem in hortis Craſſipedis generi, ep. 9. lib. i. Fam. Proficiſcentem Ateius Capito, tribunus pl. diris cum omnibus retinere conatus eſt: ille vero dirarum obnuntiatione neglecta, in Syriam contendit; atque exercitu deleto trans Euphratem cum ignominia et dedecore periit. Cicero lib. i. cap. 16. et ii. cap. 9. de Diuinat. Plutarchus, Appianus, Dio, Velleius lib. ii. cap. 46. et alii. Cicero etiam hoc tempore ſcripſit tres libros de Oratore: de quibus ſic ad Att. ep. 12. lib. iv. *de libris oratoriis factum eſt a me diligenter: diu multumque in manibus fuerunt, deſcribas licet.* vide quoque procemium lib. ii. de Orat.

Anno vrbis DCXCIX. *Ciceronis* LIII. COSS. *fuerunt*,

L. DOMITIVS AHENOBARBVS, AP. CLAVDIVS PVLCHER.

Cvm Craſſus hoc tempore in Syriam iter haberet: Cicero eius abſentis cauſam in ſe-

natu defendit, et cum consulibus atque consularibus magna contentione decertauit; vt scribit ipse ad Lentulum epist. 9. lib. I. et ad Crassum epist. 8. lib. V. Famil. Quæ initio huius anni mense Februario in senatu acta sunt, Cicero ad Fratrem scribit lib. II. epist. 11. et 12. vt in libris Manutianis distinguuntur. Misit deinde in Galliam ad Cæsarem procos. C. Trebatium Testam, Iurisconsultum, cum litteris quibus eum studiosissime commendat, epist. 5. lib. VII. Famil. Tum etiam Q. Tullius Cicero legatus Cæsari in Galliam profectus est: de quo Cæsar lib. V. cap. 24. et alibi. Comment. M. Cicero item Roma profectus, ruri scripsit ad Atticum, epist. 13. lib. IV. Fuit autem in Cumano et Pompeiano: atque in Cumano instituit scribere πολιτικά, de optimo statu ciuitatis, et de optimo ciue, epist. 13. lib. II. et 5. lib. III. ad Fratr. et epist. 13. lib. IV. ad Att. IV. Non. Iunii Cicero Romam rediit, epist. 14. lib. II. Ad Fratr. IV. Non. Quintil. Suffenas et Cato absoluti sunt. epist. 14. l. IV. ad Att. de C. Catone absoluto Asconius pro Scauro. His rebus actis Cicero a Reatinis in eorum agrum eductus, apud Ap. Claudium consulem, et decem legatos Reatinorum caussam contra Interamnates egit: epist. 14. libro IV. ad Attic. Varro de re rust. lib. III. cap. 2. VII. Id. Romam rediit. eoque tempore se a caussis et iudiciis districtissimum fuisse, ait epist. 15. lib. II. ad Fratr. defendit tum Messium, item Drusum; de quibus epist. 14. lib. IV. ad Attic. vbi hoc quoque scribit, se ex Quin-

uinti fratris litteris suspicari, iam eum esse
Britannia. Illo tempore ad Trebatium
ipsit epist. 6. 7. 8. 9. et 10. lib. vii. Fam. Ex
itannia Quintus ad Marcum litteras misit:
uibus ille mense Sextili respondit eodem die,
io P. Vatinium defendit; epist. vlt. lib. ii.
Fratr. de Vatinio in gratiam recepto et de-
nso scribit epistola longa ad Lentulum. Pro
atinio Ciceronem dixisse L. Domitio, Ap.
lodio coss. Asconius testatur. Valerius
ioque lib. iv. cap. 2. scribit, M. Ciceronem
Vatinium, dignitati suæ semper infestum,
iobus publicis iudiciis tutatum esse. itaque
atinius se clientem Ciceronis appellat,
ist. 9. lib. v. Famil. M. Aemilius Scaurus
C. Triario repetundarum postulatus apud
. Catonem prætorem a M. Tullio defensus
t a. d. iv. Nonas Septembr. vide Asconium.
anc orationem vna cum Planciana mense
eptembri se absoluisse scribit, epist. i. lib. iii.
l Fratr. Plancium his coss. a M. Iuuentio La-
renſe accusatum, et a Cicerone defensum
se, Latomus et Corradus putant; recte
ieo quidem iudicio. Fuerat enim Plancius
ibunus plebis biennio ante, vt diximus, at-
ue in hunc annum ædilitatem recte petiit.
Quod autem Siluius per Consulem, quem Ci-
ero comitia ædilitia habuisse ait, M. Crassum
itelligit, nulla probabili ratione nititur, nec
otuit Plancius in tribunatu ædilitatem pete-
e. huc accedit, quod hunc fuisse legitimum
nnum ædilitatis Laterensis, ex prætura eius
erspicuum fit: quam triennio post, Ser. Sul-
picio,

picio, M. Marcello coss. gessit; epist. 7. lib. VIII. Famil. Illud autem, quod Corradus pro certissimo argumento affert, quod C. Alfius, qui præturam hoc anno gessit, quæsitor in causa Planciana fuerit, nullum est. nam primum ex peroratione cognoscitur, non C. Alfium, sed C. Flauium quæsitorem fuisse: quem eundem præturam tum gessisse, affirmare non ausim. arbitror enim tam quæsitorem, quam consilium, editicium fuisse: editos autem fuisse ab accusatore; quæ potestas si rei fuisset, ait Cicero cap. 17. eum sine dubitatione C. Alfium tribulem suum quæsitorem, atque e Terentina, et Voltinia tribubus iudices fuisse editurum. Pridie Nonas Septemb. ludi Romani, qui per nouem continuos dies fiebant, commissi sunt. Ludorum diebus Cicero in Arpinati fuit, et XIII. Calend. Octob. Romam venit: epist. 1. lib. III. ad Fratr. A. d. VI. Calend. Octobris, cum æquinoctium subesset, Cæsar exercitum Britannia reportauit; Cicero epist. 15. lib. IV. ad Att. et Cæsar lib. V. cap. 23. Comment. cum Cæsar Britanniam peragraret, audiuit discessisse filiam; Seneca de Consolatione ad Marciam: cap. 14. Hinc Cæsaris luctus epist. 1. lib. III. ad Fratr. de morte Iuliæ, quæ Pompeio nupta erat, Dio lib. XXXIX. Plutarchus in Pompeio, et Cæsare. Cum M. Crassus A. Gabinio in Syria successisset: ille in Italiam reuersus XII. Cal. Octob. ad vrbem accessit, et IV. Cal. vrbem noctu intrauit, et de maiestate accusatus est; epist. 1. lib. III. ad Fratr. In eo iudicio Ciceronem

Ga-

Gabinium grauiſſime accuſaſſe, Dio lib. xxxix. auctor eſt, ſed Cicero ſe teſtimonium ſecundum fidem et religionem, grauiſſime in eum dixiſſe, teſtatur ep. 4. lib. iii. ad Fratr. Gabinio abſoluto, M. Tullius viii. Cal. Nouemb. in Tuſculanum profectus fuit. Ita extremis menſibus huius anni Cicero omnes epiſtolas lib. iii. ad Fratr. et poſtremas lib. iv. ad Att. et longam ad Lentulum ſcripſit. Gabinius de maieſtate abſolutus, de repetundis accuſatus et condemnatus fuit; quamuis Tullius rogatu Pompeii eum defendiſſet: Dio libro xxxix. Valerius libro iv. cap. 2. Sed huiusce generis humanitas etiam in M. Cicerone præcipua apparuit: A. namque Gabinium, repetundarum reum, ſummo ſtudio defendit, qui eum in conſulatu ſuo vrbe expulerat. Cicero pro Rabirio Poſtumo cap. 12. ait, ſibi cauſam defendendi Gabinii fuiſſe reconciliationem gratiæ. ibidem cap. 8. teſtatur, ſe Gabinium ex maximis inimicitiis receptum in gratiam, ſummo ſtudio defendiſſe. Meminit huius defenſionis D. Hieronymus in Apologia aduerſus Rufinum. Gabinio condemnato C. Memmius lege Iulia de repetundis accuſauit C. Rabirium Poſtumum: qui, cum poſt mortem patris ſui C. Curtii natus eſſet, a C. Rabirio auunculo adoptatus, C. Rabirius Poſtumus dictus fuit. defendit eum Cicero hiberno tempore, vt oratio indicat. Claudius Cæſar apud Suetonium refert, Rabirio Poſtumo, Ptolemæum Alexandriam crediti ſeruandi cauſa ſecuto, crimen maieſtatis apud iudices mo-

motum fuiſſe. Hoc ad extremum admonebo quatuor prætores huius anni a Cicerone in epiſtolis nominari; M. Catonem, Domitium, Seruilium, et C. Alfium: quibus Dio addit Ser. Sulpicium Galbam. tribuni pleb. apud Ciceronem ſunt, Q. Mucius Scæuola, Terentius, et C. Memmius: his apud Valerium lib. VIII. cap. I. additur Lælius.

Anno vrbis DCC. *Ciceronis* LIV. COSS. *fuerunt*,

CN. DOMITIVS CALVINVS, M. VALERIVS MESSALA.

HI conſules non ſtatim initio, vt moris erat, ſed ſeptimo tandem menſe, magiſtratum inierunt; auctore Dione lib. XL. Cum enim anno ſuperiore comitiorum conſularium ſinguli dies obnuntiationibus ſublati eſſent, vt ſcribit Cicero epiſt. 3. lib. III. ad Q. Frat. et ob id menſe Ianuario nulli dum Conſules eſſent: Interreges de more proditi fuerunt, qui rempublicam per ſex menſes adminiſtrarunt: cum, quod propter auſpicia, quæ ſecunda Interregibus non eueniebant, comitia habere non poſſent; tum, quod tribuni pl. qui remp. tractabant, ne magiſtratus crearentur, impedirent, vt Dio ſcribit. Plura igitur hoc tempore interregna fuerunt: de quibus Cicero ep. I. lib. VII. Famil. quam hoc tempore ſcriptam eſſe, res ipſa indicat; ſicut et ſequentes. quarum decima tertia data eſt III. Nonas Mart.

deci-

decima octaua VI. Idus Apr. Sed, cum Tribuni pl. comitia omni ratione impedirent; ac primum, vt tribuni milit. pro consulibus, deinde vt Pompeius Dictator crearetur, ad populum ferrent: M. Catonis cohortatione adductus, Pompeius effecit, vt Cn. Domitius, et M. Messala coss. tandem fuerint creati. Plutarchus in Pompeio et Dio lib. XL. His coss. M. Crassus, interfecto P. filio exercituque deleto, trans Euphratem cum ignominia et dedecore periit; ait Cicero lib. II. cap. 9. de Diuinat, et scribit præter alios Orosius noster lib. VI. cap. 13. Periisse Crassum mense Iunio Ouidius lib. VI. v. 465. Fastorum indicat. In locum P. Crassi M. F. Cicero Augur factus fuit; vt Plutarchus scribit. In Auguratus petitione competitorem habuit C. Hirrum: de quo lib. II. et VIII. Fam. Sed M. Tullium augurem, a toto collegio expetitum, Cn. Pompeius, et Q. Hortensius nominauerunt; Philip. II. cap. 2. Ab Hortensio se cooptatum in collegium, et inauguratum, ait in Bruto cap. I. Quo tempore Cicero Augur factus est, C. Scribonius Curio filius in Italia non fuit, vt ipse ait Philip. II. cap. 2. erat autem in Asia, eoque Cicero ad illum misit sex primas epistolas lib. II. Famil.

Anno

Anno vrbis DCCI. *Ciceronis* LV. *Consul fuit,*

CN. POMPEIVS MAGNVS III. SINE COLLEGA.

PETEBANT in hunc annum Consulatum summis contentionibus T. Annius Milo, P. Plautius Hypsæus, et Q. Metellus Scipio. Petebat in eundem annum præturam P. Clodius, cui summæ inimicitiæ cum Milone intercedebant. itaque a. d. XIII. Calend. Febr. cum Milo Lanuuium proficisceretur, et Clodius Aricia rediens ei occurrisset; rixa et pugna forte commissa, Clodius interfectus fuit: quod Asconius in argumento orat. pro Milone pluribus verbis narrat. Pompeius deinde ab interrege Ser. Sulpicio v. Cal. Martii consul creatus est, statimque consulatum iniit, et nouas leges tulit: duas ex S. C. alteram de vi, qua nominatim cædem Appia via factam, et incendium Curiæ, et domum M. Lepidi interregis oppugnatam comprehendit; alteram de ambitu, pœna grauiore, et forma iudiciorum breuiore proposita. vtraque enim lex prius testes dari per triduum; deinde vno die atque eodem et ab accusatore, et ab reo perorari iubebat: ita vt duæ horæ accusatori, tres reo darentur, auctore Asconio. hinc Tacitus in dialogo de Oratoribus cap. 38. ait, Pompeium primum adstrinxisse, et imposuisse veluti frænos eloquentiæ. de hac lege Pompeii Cicero in Bruto cap. 94. *Maxime,* inquit

(de

le se et Hortensio agens) *perspecta est vtriusue nostrum exercitatio paullo ante, cum ge Pompeia ternis horis ad dicendum datis, d causas simillimas inter se, vel potius easem, noui veniebamus quotidie.* et initio b. IV. de Finibus. *Ain' tandem, cum ego e hac noua lege videam, eodem die accusaori respondere, et tribus horis perorare, in ac me causa tempus dilaturum putas?* Perıta lege Pompeii, et L. Domitio Ahenobaro Quæsitore suffragio populi creato, Milo de i, et de ambitu, et de sodalitiis postulatus uit. Accusarunt de vi Milonem III. Idus Apr. ıppius maior, M. Antonius, et P. Valerius Nepos: respondit illis vnus M. Cicero. qui um inciperet dicere, exceptus est acclamaione Clodianorum; ita, vt non ea, qua solius erat, constantia diceret. sed oratio illa uoque excepta fuit, vt Asconius scribit. Meminit Quintilianus l. IV. cap. 3. Eam vero, quam nos habemus, Cicero postea scripsit, cum Milo esset Massiliæ: quo condemnatus in exsilium intra paucissimos dies profectus fuit. Asconius; et Dio lib. XL. Accusatus deinde M. Saufeius, defendente Cicerone, et M. Cœlio, absolutus fuit. Sex. autem Clodius magno consensu damnatus est. Asconius. Pompeius in hoc consulatu Corneliam, Q. Metelli Scipionis filiam, vxorem duxit, et socerum sibi in quinque menses extremos collegam subrogauit. Plutarchus in Pompeio, Dio lib. XL. Appianus lib. II. eundem Scipionem Censoriam potestatem, quam Clodius imminue-

rat, lege restituisse, Dio scribit. Hoc anno fingitur habitus sermo de finibus bonorum et malorum, quem Cicero libris quinque postea perscripsit. argumento sunt verba illa, quæ de libro quarto modo adduxi, et illa lib. II. c. 18. *Vt M. Crassus fuit: qui tamen solebat uti suo bono: ut hodie est noster Pompeius; cui recte facienti gratia est habenda.* Extremo huius anni mense, cum T. Munacius Plancus Bursa magistratu abiisset, a Cicerone accusatus, et Cn. Pompeio defensus, condemnatus fuit: Dio lib. XL. et Cicero ep. 2. lib. VII. Fam. quam hoc tempore scripsit. Plancus omnibus sententiis, maximo populi plausu, condemnatus fuit, quod Curiam incendisset; Philippica VI. cap. 4. et XIII. cap. 12.

Anno urbis DCCII. *Ciceronis* LVI. COSS. *fuerunt*,

SER. SVLPICIVS RVFVS, M. CLAVDIVS MARCELLVS.

HOc tempore, certe post Clodii cædem M. Tullius de Legibus scripsit; vt ex lib. II. cap. 17. cognoscitur. Cum autem plures libros de Legibus scripsisset; ad nos tres tantum, iique mutilati peruenerunt. Factum anno superiore senatusconsultum erat, ne quis prætorius aut consularis intra quinquennium in prouinciam ire posset; vt Dio lib. XL. scribit. Hoc S. C. ire in prouincias coacti sunt, qui in eas ex prætura, aut ex consulatu non iuerant.

in

n his erat M. Tullius: cuius ſors cum deiecta
ſſet, Cilicia prouincia conſularis cum exerci-
u peditum XII. mil. equitum duum mil. DC.
i obuenit, auctore Plutarcho. Cicero ſe no-
nen tantum duarum legionum habuiſſe, ait
piſt. 15. lib. V. ad Att. et ep. 6. lib. III. Fam.
it, in tanta militum paucitate abfuiſſe tres co-
ıortes. Tenuit Cicero procoſ. etiam Cyprum
nſulam, Ciliciæ oppoſitam, et præterea tres
lioeceſes Aſiaticas, Cibyraticam, Synnaden-
ēm, et Apameenſem, vt lib. V. ep. 21. et lib.
VI. epiſt. 1. et 2. ad Att. perſpicitur. itaque
ib. I. cap. I. de Diuinat. ait, ſe nationibus Ci-
icum, Piſidarum, et Pamphyliæ præfuiſſe.
Succeſſit M. Tullius App. Claudio, quem de
ucceſſione certiorem facit epiſt. 2. lib. III.
Famil. cum epiſtolam primam prius ad ipſum
n Ciliciam miſiſſet. Legatos habuit Cicero
Q. Tullium fratrem, C. Pomtinium, L. Tul-
ium, et M. Anneium: Quæſtorem L. Meſſi-
nium, cui C. Cœlius poſtea ſucceſſit. Profe-
ctus Cicero ex vrbe menſe Maio, Nonis cum
Attico in Tuſculano fuit: inde Arpino, Arca-
no, Aquino, Cumano, Pompeiano, et Tre-
bulano peragratis, Beneuentum venit V. Id.
Maii. Tarentum XV. Cal. Iun. et triduum cum
Pompeio, et apud Pompeium fuit; epiſt. 1. 2.
3. 4. 5. 6. et 7. lib. V. ad Att. Brundiſium venit
a. d. XI. Calend. Iun. epiſt. 3. libr. III. Famil.
ibi plures dies manſit. pridie non. Iunii ſe etiam
tum Brundiſii fuiſſe ſcribit ad Appium ep. 4.
lib. III. Fam. interim M. Cœlius ad eum mi-
ſit epiſt. 1. lib. VIII. cui Athenis reſcripſit

epist. 8. lib. II. Famil. Brundisio profectus Actium venit XVII. Calend. Athenas VII. Calend. Quintil. epist. 9. & 10. lib. V. ad Att. Exsulabat tum Athenis C. Memmius de ambitu condemnatus epist. 2. lib. III. ad Frat. et epist. 19. lib. XIII. Fam. et Appianus lib. II. is pridie, quam Cicero Athenas venit. Mytilenas profectus erat; ep. II. lib. V. ad Att. tum Cicero ad eum misit epist. I. et seq. vt videtur, lib. XIII. Famil. Cum Athenis decem ipsos dies fuisset, pridie Non. Quintil. inde profectus Ephesum venit a. d. XI. Cal. Quintil. epist. II. 12. et 13. lib. V. ad Att. et epist. 8. lib. II. Famil. Tralles venit a. d. VI. Cal. Sextil. atque ad Appium misit epist. 5. lib. III. Famil. Laodiceam in prouinciam venit pridie Calendar. Sextil. epist. 15. 20. et vlt. lib. V. ad Att. epist. 2. et 4. lib. XV. Fam. M. Cœlius interim ad Ciceronem plures epistolas scripsit, quæ lib. VIII. Famil. exstant. in quarta, Cal. Sextil. data, meminit C. Marcelli cos. designati: habita ergo comitia consularia fuerunt ante Sextilem, quibus creati consules sunt L. Paulus et C. Marcellus. qua re cognita, Cicero non solum ipsis, verum etiam C. Marcello patri, et M. Marcello fratri patrueli C. Marcelli cos. design. gratulatus est, epist. 7. 8. 9. et 12. lib. XV. Famil. Triduum moratus Laodiceæ, triduum Apameæ, totidem dies Synnade. VII. Calend. Septemb. in Lycaoniam ad Iconium in castra venit: epist. 16. et sequentibus lib. V. ad Attic. et epist. 4. lib. V. Fam. C. Cassius, qui quæstor M. Crassi fuerat, atque ex clade, quæ ad

Carrhas

Carrhas accepta erat, cum parte exercitus se in Syriam receperat eo tempore, quo Cicero in Ciliciam venit, Antiochia tenebatur: Parthosque cedentes ab oppido insecutus rem bene gessit, Osace duce occiso. Cicero epist. 10. lib. II. Famil. et epist. 20. lib. V. ad Atticum, Dio lib. XL. Iustinus lib. XLII. cap. 4. Vnde Cicero Philipp. XI. cap. 14. de Cassio: *Magnas ille res gessit ante Bibuli summi viri aduentum, cum Parthorum nobilissimos duces, maximasque copias fudit, Syriamque immani Parthorum impetu liberauit.* In castra Ciceronis ad Iconium ante diem III. Calendar. Septemb. venerunt legati missi ab Antiocho Commageno, iique nuntiarunt, Parthorum magnas copias Euphratem transire cœpisse: vt scribit epist. 1. et 3. lib. XV. Famil. Pridie Calend. Septemb. Cicero castra ab Iconio mouit, iterque per Cappadociam in Ciliciam faciens, in Cappadocia extrema non longe a Tauro apud oppidum Cybistra castra posuit: epist. 6. lib. III. et epist. 2. et 4. lib. XV. Fam. et epist. 18. lib. V. ad Attic. ibi cum dies quinque esset commoratus, regem Ariobarzanem, cuius salutem a senatu commendatam habebat, præsentibus insidiis liberauit: vt scribit ad Catonem, et copiose exponit magistratibus epist. 2. et 4. lib. XV. Famil. inde confestim iter in Ciliciam fecit per Tauripylas, et Tarsum venit a. d. III. Non. Octobr. epist. 20. lib. V. ad Att. Non. Octobr. in senatu recitatæ sunt Ciceronis litteræ, quas publice de Parthico tumultu miserat: epist. 1.

lib. xv. Famil. et epist. vlt. lib. v. ad Att. eodemque die Cicero Tarso Amanum versus profectus est, epist. 8. lib. III. Famil. qui mons erat hostium plenus sempiternorum. hic a. d. III. Id. Octob. magnum numerum hostium cæcidit, castella munitissima cepit, incendit, imperatorque appellatus est; epist. 20. lib. v. ad Atticum epist. 10. lib. II. et 4. lib. xv. Famil. vide quoque Commentarium nostrum in Ligarianam. His rebus ita gestis, castra in radicibus Amani habuit, ea ipsa, quæ contra Darium habuerat apud Issum Alexander; vt est locis iam citatis. inde Pindenissum, oppidum munitissimum Eleutherocilicum, diu omnibus machinis oppugnatum, septimo et quinquagesimo die cepit, Saturnalibus mane: epist. 20. lib. v. ad Attic. et epist. 4. lib. xv. Famil. Pindenisso capto exercitum in hiberna dimisit, iisque Quintum fratrem præposuit; epist. 4. lib. xv. Extremo hoc anno Cicero ad Curionem misit ep. 7. lib. II. Fam. in qua illi de tribunatu pleb. gratulatur; quem a. d. IV. Id. Decemb. iniit.

Anno vrbis DCCIII. *Ciceronis* LVII. COSS. *fuerunt*,

L. AIMILIVS PAVLLVS, C. CLAVDIVS MARCELLVS.

AD hos consules exstant Ciceronis litteræ: quibus petit, vt quam honorificentissimum S. C. de rebus a se gestis faciendum curent. ep.

ep.10. et 13. lib.xv. Fam. hac de re ſcripſit etiam ad Catonem ep. 4. eiusdem libri. tum Ciceroni pro re bene geſta ſupplicationes ſunt decretæ, epiſt. 11. lib. VIII. Famil. et ep. 1. lib. VII. ad Att. pro quibus Marcello cos. gratias agit ep. 11. lib. xv. Famil. Nonis Ian. Cicero Tarſo profectus fuit in Aſiam, vt ibi ſuarum diœceſium hominibus ius diceret; epiſt. vlt. lib. v. ad Att. quam Idibus Febr. ſe dediſſe ait. Quo tempore Cicero Ciliciam, et M. Bibulus Syriam obtinuerunt; eodem tempore Q. Thermus pro prætore in Aſia, et P. Silius in Bithynia, vt videtur, fuerunt: indicat ep. 1. lib. VI. ad Att. Itaque e Cilicia Cicero ad Thermum et Silium miſit epiſt. 53. et alias, quæ deinceps lib. XIII. Fam. leguntur. Laodiceæ M. Tullius ex Idibus Febr. ad Calend. Maii forum egit omnium diœceſium Aſiaticarum; ep. 1. et 2. l. VI. ad Attic. Eo venit M. Fabius, commendatus ei a C. Caſſio. commendat eundem ipſe Cœlio, Pæto, et Curtio, ep. 14. lib. II. ep. 25. lib. IX. ep. 59. lib. XIII. et ep. 14. lib. xv. Famil. eodem tempore Cicero aliquot epiſtolas ad Cœlium et Appium miſit; quæ lib. II. et III. leguntur. in quibus cum de aliis rebus, tum de Appii accuſatione, et Tulliæ nuptiis agitur. Accuſauit Appium reuerſum e prouincia P. Cornelius Dolabella: eidemque Tullia M. Ciceronis filia hoc tempore nupſit. de affinitate hac gratulatur Ciceroni Cœlius ep. 13. lib. VIII. Fuit quoque Appius hoc anno, vt Dio ſcribit, cenſor cum L. Piſone. Appii cenſuræ meminit Cicero in epiſtolis ad ipſum, epiſt. 10. 11.

et vlt. lib. III. de eadem Q. frater lib. I. cap. 16. de Diu. *In quo Appius collega tuus, bonus augur, vt ex te audire soleo, non satis scienter, virum bonum, et ciuem egregium, censor P. Ateium notauit, quod ementitum auspicia subscripserit.* Ex Asia Cicero in Ciliciam Nonis Maii profectus; ep. 13. lib. II. Famil. et ep. 2. lib. VI. ad Att. Tarsum venit Nonis Iun. ep. 4. lib. VI. ad Att. Ciceroni interim Quæstor C. Cœlius obtigit; ad quem scribit epist. vlt. lib. II. Fam. eundemque de prouincia decedens III. Cal. Sextil. prouinciæ præfecit, ep. 6. lib. VI. ad Att. ep. 15. lib. II. Famil. et ep. 14. lib. III. Epheso proficiscens Cal. Octobr. Athenas venit pridie Idus, ep. 8. et 9. lib. VI. ad Att. et ep. 5. lib. XIV. Fam. Athenis Ciceronem libenter commoratum esse, πόθῳ τῶν πάλαι διατριβῶν, Plutarchus scribit. Athenis imperatorem se apud Aristonem diuersatum esse, Tusc. V. cap. 8. ait. Tironem libertum Cicero e Cilicia in Italiam reuertens Patris ægrum reliquit, ep. 2. lib. VII. ad Att. ad eumque plures ex Itinere epistolas misit, quæ lib. XVI. Fam. leguntur, et totius itineris rationem continent. Brundisium venit VII. Cal. Decemb. eodemque tempore vxor Terentia ad portam Brundisinam accessit, quo Tullius in portum; ep. 1. lib. VII. ad Att. et ep. 9. lib. XVI. Fam. inde Romam versus proficiscens, ex itinere scripsit ad Atticum ep. 3. 4. 5. 6. 7. et 8. lib. VII.

Anno

Anno vrbis DCCIV. *Ciceronis* LVIII. COSS. *fuerunt*,

C. * CLAVDIVS MARCELLVS, L. CORNELIVS LENTVLVS CRVS.

HIs consulibus M. Tullio pridie Non. Ianuar. ad vrbem accedenti sic est obuiam proditum, vt nihil fieri potuerit honoratius: epist. 10. lib. XVI. Famil. vbi addit, se incidisse in ipsam flammam ciuilis discordiæ, vel potius belli. quod etiam Plutarchus scribit. Nam Calend. Ianuar. cum in Q. Metelli Scipionis sententiam S. C. fieret, vti ante certam diem Cæsar exercitum dimitteret, si non faceret, eum aduersus remp. facturum videri; eique S. C. M. Antonius et Q. Cassius tribuni pleb. intercessissent: Senatus consulibus, prætoribus, tribunis pleb. et iis, qui pro consulibus ad vrbem erant, negotium dedit, vt curarent, ne quid resp. detrimenti caperet. Tum Antonius et Cassius ad Cæsarem ex vrbe cum Curione profugiunt: Cæsar lib. 1. cap. 5. de Bello ciuili, Cicero ep. 10. lib. XVI. Fam. et Philip. II. cap. 21. Cicero vt venit ad vrbem, non destitit omnia et sentire, et dicere, et facere, quæ ad concordiam pertinerent; epist. 11. lib. XVI. Famil. fuitque semper auctor pacis, vt testatur in orationibus pro Marcello cap. 5. Ligario cap. 9. et Deiotaro

* Nam vitiosum est in Gruteriana prænomen L. quod temere secuti alii.

cap. 10. item, ep. 6. lib. VI. et ep. 3. lib. VII. Famil. eaque de re, vt Plutarchus tradit, priuatim multa ad Cæsarem scripsit, et Pompeium coram precatus est, vtrumque placans et deliniens. Sed mirus inuaserat furor non solum improbis, sed etiam iis, qui boni habebantur; Cicerone clamante, nihil esse bello ciuili miserius: ep. 11. lib. XVI. Famil. Itaque Italiæ regiones descriptæ fuerunt, quam quisque partem tuerentur. Cicero Capuam sumsit, quod pridie Idus Ianuar. ad Tironem scripsit ep 10. lib. XVI. Cum interim Cæsar, traiecto Rubicone, Ariminum, Pisaurum, Auconam, Aretium occupasset, vrbem consules, atque optimates omnes reliquerunt. Cicero ep. 11. lib. XVI. Famil. Dio lib. XLI. et alii. M. Tullius tum quoque ab vrbe discessit; ep. 9. et sequent. lib. VII. ad Att. Discessisse eum XIV. Cal. Feb. cognoscitur. epist. 12. lib. IX. ad Att. Fuit Cicero ἐπίσκοπος totius oræ maritimæ a Formiis, ep. 11. lib. XVI. Famil. et epist. 10. lib. VII. ad Att. VIII. Cal. Februarii Cicero Minturnis fuit ep. 12. lib. VII. ad Att. Reliquerat vxorem Terentiam et filiam Tulliam Romæ. ep. 11. lib. XVI. Famil. quarum curam sæpius Attico mandat. ipsas quoque de hac re monet ep. 14. et 18. lib. XIV. Famil. VI. Cal. Febr. Cicero Calibus Capuam proficiscens ad Atticum misit epist. 13. libr. VIII. et postridie sequentem. IV. Calend. Capua ad Tironem dedit ep. 11. lib. XVI. Famil. Capua profectus est Formias a. d. III. Cal. eo quarto Non. Febr. Tullia et Terentia venerunt.

ınt. M. Tullius poſtridie cum fratre Capuam erſus profectus eſt, ep. 15. et 16. lib. vii. et p. 13. lib. viii. ad Att. Capuæ cum triduum uiſſet, vii. Id. Febr. inde diſcedens ſe Formias recepit: ep. 19. lib. vii. et 13. lib. viii. d Att. Formiis quotidie fere litteras ad Att. ledit, quæ extremo libro ſeptimo, et primo octauo leguntur. Reddita interim Ciceroni eſt a Pompeio epiſt. 12. lib. viii. ad Attic. qua in Apuliam euocatur: eam ſe xv. Cal. Mart. Formiis accepiſſe, Pompeio reſcribens, ait, ep. 13. lib. viii. ad Attic. meminit epiſt. 1. eiusdem lib. Profectus deinde ad Pompeium cum Theanum Sidicinum veniſſet, ex C. Meſſio, aliisque compluribus cognouit, in iis locis eſſe Cæſarem, vt tuto ad Pompeium venire non poſſet. itaque Cales progreſſus ibi conſtitit. et cum eſſet incertum iter Cæſaris: Leptam ad Pompeium miſit, et litteras; ipſe Formias revertit, ep. 3. et 15. lib. viii. ad Attic. Ibi aliquamdiu manens plures epiſtolas ad Atticum miſit, quæ lib. viii. et ix. exſtant. viii. Cal. Mart. Pompeius Canuſio Brundiſium profectus fuit, ep. 1 lib. ix. ad Att. eo Ciceronem vocauit miſſa ep. 14. lib. viii. ad Att. quam Cicero accepit iii. Cal. epiſt. ſeq. et manſit in Formiano. A. d. vii. Id. Mar. Cæſar Brundiſium cum legionibus ſex peruenit, atque ad murum caſtra poſuit; cum iam conſules Dyrrachium profecti cum magna parte exercitus eſſent, et Pompeius Brundiſii cum cohortibus xx. remaneret: ep. 16. lib. ix. ad Att. et lib. 1. cap. 25. de bello ciuili. Cicero

cero illo tempore etiam ad Tironem ſcripſit ep. 13. 14. et 15. lib. XVI. Famil. Pompeius XVI. Cal. April. Brundiſio cum omnibus copiis, quas habuerat, profectus eſt: Cæſar poſtero die oppidum ingreſſus, et concionatus Romam contendit; ep. 18. lib. IX. Att. Eo itinere M. Cicero illum conuenit, et quid egerit, Attico ſcribit ep. 21. lib. IX. Cicero deinde Arpinum profectus, ibi Tullio filio ſuo togam puram dedit, ep. 21. et vlt. lib. IX. ad Att. manſitque in villis menſe Aprili et Maio, atque ad Att. miſit epiſtolas, quæ lib. IX. exſtant. VII. Idus Iunii ad Pompeium in Græciam proficiſcens nauim conſcendit, ep. 7. lib. XIV. Famil. *Suſcepto bello, Cæſar, geſto etiam ex magna parte, nulla vi coactus, iudicio meo, ac voluntate ad ea arma profectus ſum, quæ erant ſumta contra te;* ait ipſe pro Ligario cap. 3. et nos in Commentario expoſuimus. Aduentus eius, vt Plutarchus ſcribit, ceteris gratus fuit: Cato autem illum conſpicatus multis verbis reprehendit, quod Pompeium ſecutus eſſet. nam ſe non potuiſſe honeſte eam ſectam deſerere, quam ab initio in rep. delegiſſet: illum, qui magis prodeſſe patriæ et amicis potuerit, ſi in Italia manſiſſet, et æqualiter ſe ad euentum comparaſſet; nulla ratione et absque neceſſitate hoſtem Cæſari factum eſſe, atque in tanti periculi societatem veniſſe. Cum hæc verba Ciceronis animum flexerunt, tum quod nulla magna in re Pompeius illius opera vtebatur. in cauſa erat ipſe, non negans, ſe facti ſui pœnitere. Hactenus Plu-

Plutarchus. ipse quoque ep. 3. lib. VII. Famil. ait: *Cuius me mei facti pœnituit, non tam propter periculum meum, quam propter vitia multa, quæ ibi ostendi, quo veneram* Cæsar in Hispaniam profectus, ea potitus est, et Dictator a M. Lepido prætore dictus comitia habuit, quibus ipse cum P. Seruilio consul creatus est; vt scribit lib. III. de bello ciuili. cap. I.

Anno vrbis DCCV. *Ciceronis* LIX. COSS. *fuerunt*,

C. IVLIVS CAESAR II. P. SERVILIVS VATIA ISAVRICVS.

HIs consulibus pridie nonas Ian. Cæsar Brundisio in Epirum contra Pompeium traiecit; lib. III. cap. 6. de bello ciuili. post Nonas Febr. Cicero e Græcia ad Atticum dedit ep. 2. lib. XI. Obsesso a Cæsare et circumuallato Pompeio apud Dyrrhachium, P. Dolabella ad Ciceronem misit epist. 9. lib. IX. Famil. nonis Iunii in castris fuit: e quibus ad Atticum dedit epist. 3. lib. XI. et sequentem: in qua scribit se confici solicitudine, ex qua etiam summa infirmitas corporis consecuta sit. Itaque cum Pompeius, translato in Thessaliam bello, apud Pharsaliam media æstate, vt Plutarchus in Bruto tradit, a Cæsare victus est; Cicero in acie non fuit, vt scribit ad Pætum ep. 18. lib. IX. Famil. sed remansit in castris, vt Liuius lib. CXI. scripsit. vnde Plutar-

tarchus in Cicerone ait, τῆς μάχης ὐ μετέσχε διʼ ἀῤῥωςίαν, id est, *prælio propter infirmitatem corporis non interfuit.* Erant cum Cicerone M. Varro, et M. Cato, lib. I. cap. 32. de Diuinat. Catonem Dyrrhachii, vt impedimentis præsidio esset, cum XV. cohortibus a Pompeio relictum fuisse, Plutarchus in Pompeio, et Catone auctor est. Victo Pompeio, Cato (inquit Plutarchus in Cicerone) qui copias magnas, classemque magnam Dyrrhachii habebat, ad M. Tullium, qui et lege et dignitate consulari præstaret, imperium deferebat. quod cum ille recusaret militiamque subterfugeret: propius factum est nihil, quam vt occideretur; cum et Pompeius filius, et amici eum proditorem appellarent, gladiosque stringerent. sed Cato resistens vix illum cædi eripuit, et ex castris remouit atque ablegauit. Hæc Plutarchus. Q. Cicero lib. I. cap. 32. de Diuinat. refert, Labienum ex Pharsalica fuga in castra venisse, interitumque exercitus nuntiauisse, atque ita ipsos subito perterritos metu naues conscendisse. Victoriam igitur Cæsaris Cicero belli finem sibi fecit: nec putauit, cum integri pares non fuissent, fractos superiores fore; epistol. 3. lib. VII. Famil. Dio lib. XLII. scribit Ciceronem cum nonnullis aliis senatoribus continuo Romam profectos esse: ipse epist. 6. lib. XI. ad Attic. ait, se in Italiam venisse non arcessitum. Terentiæ vxori, quæ ipsi de aduentu gratulata erat, pridie Non. Nouemb. Brundisio rescripsit, epist. 12. lib. XIV. Famil.

Brun-

Brundisii Cicero diu moratus est Cæsarem exspectans; dum is post prælium Pharsalicum in Aegyptum profectus bellum Alexandrinum gessit, et Pharnacem in Ponto superauit. Brundisium quoque M. Antonius post victoriam cum legionibus venit, et Ciceroni pepercit. quod beneficium Cicero Philippica secunda cap. 3. et 24. agnoscit. Scripsit tum Cæsar ad Antonium, prohiberi omnes Italia, nisi quorum ipse causam cognouisset. quare, cum Antonius petiisset a Cicerone per litteras, vt sibi ignosceret; facere se non posse, quin Cæsaris litteris pareret: misit Cicero ad eum L. Lamiam, qui demonstraret, Cæsarem Dolabellæ dixisse, vt ad Ciceronem scriberet, vt in Italiam quam primum veniret. Itaque Antonius edixit ita, vt M. Tullium exciperet nominatim. hoc XIV. Calend. Ianuar. Cicero ad Atticum scripsit epist. 7. lib. XI. Affligebat Ciceronem eodem tempore Tulliæ morbus: cuius meminit epistol. 7. lib. XI. ad Att. de eodem scribit ad Terentiam epist. 39. lib. XIV. Famil. scribit etiam per Leptam et Trebatium epist. 17. eiusdem lib. vide epist. 8. lib. XI. ad Atticum.

Anno

Anno urbis DCCVI. *Ciceronis* LX.

C. IVLIVS CAESAR II. DICTATOR FVIT.

M. ANTONIVS MAG. EQVIT.

HAnc Dictaturam Cæsar extra Italiam iniit, auctore Dione lib. XLII. De Antonio magistro equitum Cicero Philipp. II. cap. 25. *Accessit, ut, Cæsare ignaro, cum esset ille Alexandriæ, beneficio amicorum eius magister equitum constitueretur.* III. Non. Ian. die natali suo M. Tullius ad Att. dedit epist. 9. lib. XI. et sequentem XII. Cal. Febr. VIII. Id. Martii ad eundem scripsit epist. 11. et 12. Romæ illo tempore seditiones a P. Cornelio Dolabella trib. pl. et Tulliæ marito, legem ferente de nouis tabulis, excitatæ sunt. de quibus Liuius lib. CXIII. Dio lib. XLII. Hæ sunt generi actiones, de quibus Cicero epist. 12. 14. 15. et 23. lib. XI. ad Attic. Pridie Idus Maii Cicero ad Atticum dedit ep. 15. et III. Nonas Iunii sequentem eiusdem libri. Pridie Idus Iun. Tullia ad patrem Brundisium venit; epist. 11. et 15. lib. XIV. Fam. et ep. 17. lib. XI. ad Atticum. Constituerat eo tempore M. Tullius Ciceronem filium cum Cn. Sallustio obuiam Cæsari mittere: sed cum de eius aduentu nihil afferretur; consilium mutauit, ep. 17. et 18. lib. XI. ad Att. et ep. 11. et 15. lib. XIV. Famil. Pridie Idus Sextil. Cicero accepit litteras Cæsaris, quas ille ex Aegypto ad eum

eum miserat, vt esset idem, qui fuisset; ep. vlt. lib. XIV. Famil. et pro Ligario cap. 3. vbi, C. Pansam nuntium de concessis fascibus pertulisse, ait. Dedit tum Cicero ad Atticum epistolas, quæ extremo libro vndecimo exstant. Cum Cæsar ad Cal. Sept. Athenis fore diceretur: Cicero propter moras Asiaticas secus putabat, ep. 21. lib. XI. ad Att. Venit tamen in Italiam celerius omnium opinione, vt Hirtius auctor est de bell. Alex. extr. Vbi ad Ciceronem allatum est, eum Tarentum nauibus appulisse, atque inde Brundisium pedibus contendere: obuiam illi processit, non equidem valde diffidens, sed tamen veritus in tanta multitudine hostis et victoris periculum facere. Verum non fuit opus quicquam dicere aut facere præter dignitatem. Cæsar enim, vt eum longe ante alios occurrere vidit, descendit et salutauit; cumque eo solo colloquens multa stadia processit. hæc Plutarchus in Cicerone. Cal. Octob. Cicero ad Terentiam de Venusino dedit ep. 20. lib. XIV. Fam. mandans, vt in Tusculano omnia essent parata ad hospites excipiendos. deinde in vrbem venit, et rediit cum libris in gratiam; ep. 1. lib. IX. Fam. Extremo anno, Q. Fusius Calenus, et P. Vatinius coss. fuerunt, Dio lib. XLII.

Anno vrbis DCCVII. *Ciceronis* LXI. COSS. *fuerunt*,

C. IVLIVS CAESAR III. M. AIMILIVS LEPIDVS.

CAesar cum a summo haruspice moneretur, ne in Africam ante brumam transmitteret, vt Cicero lib. II. cap. 24. de Diuinat. ait: VI. Cal. Ian. Lilybæi conscendit, ac post diem quartum in conspectum Africæ venit, ibique hoc anno bellum Africanum aduersus P. Scipionem, et Iubam Mauritaniæ regem administrauit; de quo Hirtius, et alii. Obtinebat eo tempore Siciliam Allienus prætor, vt Hirtius scribit de bell. Afr. cap. 2. Misit tum ad eum in prouinciam Cicero epistol. penult. et vlt. lib. XIII. Famil. Cæsar, cum ad bellum Africanum proficisceretur, M. Brutum Galliæ Cisalpinæ præfecit: auctor Appianus lib. II. et Cicero epist. 6. lib. VI. Famil. eo tempore Cicero ad illum scripsit quinque epistolas, quæ lib. XIII. Fam. leguntur. Græciæ idem Cæsar præfecit Ser. Sulpicium; epist. 4. lib. IV. item 1. et 6. lib. VI. Fam. Ad eum quoque plures Ciceronis epistolæ exstant lib. XIII. Fam. Erat autem M. Tullius tempore belli Africani Romæ, nec fere exibat, propter varias hominum suspiciones; quas Varroni exponit epist. 2. lib. IX. Fam. Fuit etiam ruri in villis, epist. 1. libri XII. ad Attic. vbi Hirtii et Balbi Cæsarianorum meminit: qui hoc bel-

bello Africano Romæ fuerunt, vt permultæ epistolæ ad familiares tum scriptæ ostendunt. in quibus sunt ad Varronem et Pætum pleræque lib. IX. Famil. Conquiescebat M. Tullius in studiis, epist. 6. libri IX. Famil. Scripsisse illum eo tempore Partitiones Oratorias, Corradus putat; et de Bruto, qui est de claris Oratoribus, vere affirmat, eum vivo adhuc Catone scriptum esse: quamuis procœmium anno sequenti editum fuisse, ostendat. Cæsar initio mensis Aprilis, vt Hirtius scribit Iubam et Scipionem vicit: ac paucis diebus post M. Cato sibi Vticæ mortem consciuit. Cato autem sic abiit e vita, vt causam moriendi nactum se esse gauderet; ait Cicero Tusculan. I. cap. 30. Africano bello confecto, Cæsar Idibus Iun. classem conscendit, et post diem tertium in Sardiniam peruenit. inde a. d. III. Calend. Quint. naues conscendens duodetrigesimo die ad vrbem Romam venit. Hirtius de bell. Afr. extr. Fuerat cum Cæsare in Africa P. Dolabella, vt docet Cicero Philip. II. cap. 30. qui cum Cæsarem ab Africano bello redeuntem antecederet, epist. 7. lib. IX. ad Famil. Cicero ei Tironem obuiam misit, epist. 5. lib. XII. ad Attic. Cæsari senatus multos honores decreuit; in iis, vt præfectus moribus, τῶν τρόπων ἐπιςάτης per triennium esset. Dio lib. XLIII. meminit Cicero epist. 15. lib. IX. Famil. Erat Cicero in vrbe, atque a Cæsare, vt Plutarchus scribit, honore afficiebatur, adeo vt laudi Catonis, a Cicerone scriptæ, respondens orationem eius et vitam,

ceu Periclis et Theramenis maxime geminam, collaudaret. Atque Ciceronis liber Cato, Cæſaris Anticato inſcribitur. Cicero anno ſequente ad Atticum, vt epiſtol. 15. lib. XII. ita ſcripſit : *Qualis futura ſit Cæſaris vituperatio contra laudationem meam, perſpexi ex eo libro, quem Hirtius ad me miſit ; in quo colligit vitia Catonis, ſed cum maximis laudibus meis.* Tribus ſtatibus vſum C. Cæſarem in vituperando Catone, eſt apud Quintilian. lib. III. cap. 9. Cæſarem in Anticatone citat Gellius lib. IV. cap. 16. C. Cæſar in Anticatone priore adducitur a Priſciano lib. XIII. Iuuenalis Satyra VI. v. 338. *Duo Cæſaris Anticatones.* Cicero ſub finem lib. XIII. ad Att. Cæſaris libros contra Catonem, nominat. Cremutius Cordus apud Tacitum lib. IV. Annal. cap. 34. *M. Ciceronis libro, quo Catonem cælo æquauit, quid aliud Dictator Cæſar, quam reſcripta oratione velut apud iudices reſpondit ?* Gellius libro XIII. cap. 18. *M. Cato nepos pater fuit M. Catonis prætorii viri, qui bello ciuili Vticæ necem ſibi gladio manu ſua conſciuit : de cuius vita liber eſt M. Ciceronis, qui inſcribitur Laus M. Catonis.* Cæſarem laudationem a Cicerone ſcriptam non ægre tuliſſe, ſed librum, ſiue βιβλίον τι, ſcripſiſſe, ὃ κ̀ Αντικάτων ἐκάλεσεν, ait Dio lib. XLIII. Catone abſoluto Cicero ſtatim eſt aggreſſus Oratorem, vt ipſe in oratore ad M. Brutum, qui tum Galliæ præerat, ſcribit cap. 10. De Oratore lege ep. 19. lib. VI. Fam. M. Claudius Marcellus, qui ante annos quin-

que

que in consulatu Cæsarem palam oppugnauerat, bello ciuili partes Pompeii secutus, eo victo Cæsarem veterem suum inimicum metuens Mytilenas concessit, ibique in studio bonarum artium hoc tempore beatissime, quantum modo natura hominis patitur, viuebat; vt ex Bruto refert Seneca in Consolatione ad Albinam cap. 8. tum M. Tullius ad eum dedit ep. 7. et 8. lib. IV. Fam. hortans illum, vt Cæsari se summitteret. cum autem in senatu a L. Pisone mentio esset facta de Marcello, et cum C. Marcellus se ad Cæsaris pedes abiecisset: cunctus senatus consurrexit, et ad Cæsarem supplex accessit. tum Cæsar, accusata acerbitate Marcelli, repente præter spem dixit, se senatui roganti de Marcello ne ominis quidem causa negaturum. Itaque, cum omnes ante M. Tullium rogati gratias Cæsari, præter L. Volcatium Tullum, egissent: Cicero, qui statuerat in perpetuum tacere, sententiam rogatus pluribus verbis egit Cæsari gratias; quæ oratio pro Marcello exstat. vide ep. 4. lib. IV. Fam. Cicero quoque Marcello persuasit, vt Romam redire vellet, epist. 9. 10. et 11. eiusdem libri. Hoc anno, vt Dio testatur, Cæsar fastos correxit, annumque ad cursum Solis accommodauit, vt CCCLXV. dierum esset, et intercalario mense sublato, vnus dies quarto quoque anno intercalaretur. quo autem magis in posterum ex Calendis Ianuar. temporum ratio congrueret: inter Nouembrem ac Decembrem mensem interiecit duos alios: fuitque hic annus XV. mensium cum inter-

tercalario, qui ex consuetudine in eum annum inciderat. hæc Suetonius Cæs. cap. 40. lege præterea Macrobium, Plinium, Dionem et Plutarchum. Prid. Cal. intercalares priores Tullius rogatu fratrum Q. Ligarii, qui post victos in Africa Pompeianos vita a Cæsare impetrata extra Italiam in exsilio viuebat, mane ad Cæsarem venit: cumque fratres et propinqui Ligarii iacerent ad pedes; Cicero ea est locutus, quæ causa, quæ tempus postulabat, epist. 15. lib. VI. Fam. Ligarius deinde a Q. Aelio Tuberone reus factus est, eiusque patrocinium Cicero suscepit. tum Cæsarem dixisse ferunt: quid est causæ, cur Ciceronem orantem aliquamdiu non audiamus? nam reum quidem hominem improbum et hostem esse, iampridem certum est. Vbi vero Cicero ingressus dicere, mirificos motus concitauit, et oratio progressa cum affectibus varia, tum venustate admirabilis fuit: perspicue cognitum aiunt, varios colores Cæsaris vultum subire, eiusque animum omnibus modis commutari; ac tandem, cum Pharsalici prœlii mentionem facere Orator cœpisset, immodicis perturbationibus incitatum corpore contremuisse, et libellos quosdam e manu eiecisse. Victus igitur Cæsar orationis vi, Ligarium crimine liberauit. Ita nos locum Plutarchi de hac causa a nobis conuersum in fine Commentarii Ligariani ad Ornatiss. virum Gerhardum Iuliacensem iam dudum edidimus. Confecto bello Africano, T. Quintius Scapula nouum in Hispania commouit:

cu-

cuius meminit Cicero ep. 13. lib. IX. Famil. Tu lege Dionem lib. XLIII. vbi Cn. Pompeium Magni filium Hispaniæ partes plerasque in suam ditionem redegisse tradit. Cæsar igitur extremo hoc anno ad bellum Hispaniense profectus, XXVII. diebus in Hispaniam peruenit, vt Appianus libro II. scribit. Hoc anno M. Tullius cum Terentia vxore diuortium fecit: quæ Vibio Rufo deinde nupta fuit, auctore Dione lib. LVII. atque tertium et centesimum expleuit annum; vt scribit Val. Max. lib. VIII. cap. 13.

Anno vrbis DCCVIII. *Ciceronis* LXII.

C. IVLIVS CAESAR III.
DICTATOR FVIT.

M. AIMILIVS LEPIDVS
MAG. EQVIT.

Eodem anno

C. IVLIVS CAESAR IV.
COS. SINE COLLEGA FVIT.

HAec ex Capitolinis lapidibus recte a viris doctis probantur: vide Fastos Sigonii et Onuphrii. Cicero Terentia dimissa, virginem vxorem duxit: vt quidem Terentia dictitabat, formæ gratia; vt autem Tiro Ciceronis libertus scripsit, diuitiis eius adductus, vt æs alienum dissolueret. erat enim puella diues, et bona eius Cicero fideicommissarius heres relictus

custodiebat, quare cum permagnum æs alienum haberet: amicorum et familiarium impulsu puellam vxorem præter ætatem duxit, vt illius facultatibus creditoribus satisfaceret. Hæc Plutarchus, vt quidem nos conuertimus, aliis interpretibus nihil præiudicantes: e quibus verba illa Plutarchi, καὶ τὴν οὐσίαν αὐτῆς Κικέρων ἐν πίστει κληρονόμος ἀπολειφθεὶς διεφύλαττεν, quæ nos vertimus, *Et bona eius Cicero fideicommissarius heres relictus custodiebat*, Bocchius sic expressit, *Et eius substantias sub tutoris fide seruabat*; Xylander noster, *Eiusque bona fidei sua commissa Cicero heres ab ea scriptus seruabat*; Corradus, *Et eius facultates Cicero suæ fidei commissas, vt heres relictus, seruabat.* Non erat Cicero vt heres relictus, neque secundus heres, vt Corradus scribit: sed Publilius, siue Popillius moriens Ciceronem heredem instituerat, et rogauerat, vt hereditatem redderet suæ filiæ. Huiusmodi heredem fideicommissarium dici a Iurisconsultis, etiam in Græcis Iustiniani Constitutionibus, notum est iis, qui libros illos non aspernantur. Sic P. Sextilius Rufus heres a Q. Fabio Gallo scriptus, rogatus fuit, vt omnis hereditas ad filiam perueniret; vt est lib. II. cap. 17. de Finibus. Verum ad institutum. Calenus apud Dionem lib. XLVI. ait, M. Tullium exacta ætate virginem duxisse, ἵνα ἐκ τῆς οὐσίας δανείσματα ἀποτίσῃ, *vt illius facultatibus se ære alieno liberaret.* Quintilianus lib. VI. cap. 4. *Cicero obiurgantibus, quod sexagenarius Popilliam virginem duxisset,*

xisset, *Cras mulier erit*, *inquit*. Lib. XII. ad Att. ep. 27. Publilia nominatur, quam secundam Ciceronis vxorem fuisse homines docti affirmant. De his nuptiis cum Ciceroni Cn. Plancius gratulatus esset; Cicero ita respondit, epist. 14. lib. IV. Famil. *Quod mihi de eo, quod egerim, gratularis: te ita velle certo scio. sed ego tam misero tempore nihil noui consilii cepissem, nisi in reditu meo nihilo meliores res domesticas, quam rempub. offendissem.* cetera. Non ita multo post, quam Cicero Publiliam duxerat, Tullia filia apud Lentulum pariens decessit, vt Plutarchus scribit. Asconius quoque in Pisonem (princip.) filiam Ciceronis apud P. Lentulum ex partu decessisse, ait. Propter Tulliæ partum Cicero se Romæ teneri initio belli Hispaniensis scribit ad Leptam epist. 19. lib. VI. Famil. Lentulus apud quem Tullia decessit, est P. Cornelius Dolabella, qui cum Cæsare in Hispania erat; vt Cicero Philipp. II. cap. 30. et epistolarum ad Atticum lib. XIII. ostendit. Itaque deplorans Tulliæ mortem, ad illum scripsit epist. II. lib. IX, Famil. Quanto dolore propter interitum filiæ carissimæ exarserit, ipse ostendit in epistolis, quas tum ad Atticum misit, et exstant lib. XII. et XIII. ad Attic. Vndique tum philosophos ad Ciceronem consolandi gratia conuenisse, Plutarchus auctor est. Misit ad Tullium consolatorias litteras M. Brutus, epist. 8. lib. XII. ad Att. in Bruto cap. 3. et epist. 9. ad M. Brutum. Ser. Sulpicii consolatio exstat, epist. 5. lib. IV. Famil. cui Cicero

epiſt. ſequenti reſpondit. L. quoque Lucceius Ciceronem per litteras conſolatus fuit: eique reſpondet epiſt. 13. lib. v. Famil. Præterea Cæſar litteras conſolatorias pridie Cal. Maii Hiſpali dedit; ep. 19. lib. XIII. ad Att. ſed, cum omnem conſolationem vinceret dolor: ſe ipſe per litteras conſolatus eſt, ſcripſitque librum, quem *conſolationem*, vel *de luctu minuendo* inſcripſit; lib. XII. ep. 15. ad Att. Ex hoc libro Lactantius lib. I. cap. 5. et 15. et lib. III. cap. 19. multa adducit. Conſolationis ſuæ meminit etiam Cicero in Tuſculanis aliquoties, et in ſecundo de Diuinat. cap. I. ſic: *Nam quid ego de Conſolatione dicam? quæ mihi quidem ipſi ſane aliquantum medetur, ceteris item multum profuturam puto.* Plutarchus addit, Ciceronem Publiliæ nuntium remiſiſſe, quod viſa eſſet Tulliæ morte lætari. Vnde negotium, quod cum Publilio habuit, de ſolutione dotis fuiſſe videtur; lib. XIII. et XVI. ad Att. Poſt Tulliæ mortem Cicero domo abfuit, et Aſturæ atque in ceteris villis maximam partem anni in philoſophiæ ſtudiis conſumſit. Cum enim dominatu vnius omnia tenerentur; ad philoſophiam, cui multum adoleſcens diſcendi cauſa temporis tribuerat, ſe retulit, et ſapientiæ ſtudium longo interuallo intermiſſum reuocauit; Tuſcul. I. cap. I. et de Offic. II. cap. I. Quare cum, quæ a Græcis ſummis auctoribus memoriæ prodita erant, ea Latinis litteris illuſtrare vellet: Hortenſium ſcripſit; quo in libro philoſophiam ab Hortenſio accuſatam et vituperatam, ipſe de

defendit, et collaudauit, vt testatur primo de Finibus cap. I. eiusdem mentio est Tuscul. III. cap. 3. et lib. II. cap. I. de Diuinat. his verbis: *Cohortati sumus, vt maxime potuimus, ad philosophiæ studium in eo libro, qui est inscriptus Hortensius.* huius libri lectione D. Augustinus se ad veræ, hoc est, Christianæ philosophiæ contemplationem incensum fuisse, aliquot locis fatetur. Deinde, vt est secundo de Diuin. cap. I. quod genus philosophandi minime arrogans, maximeque et constans et elegans arbitraretur, quatuor Academicis libris ostendit. Scripserat autem primum duos libros Academicos; et vnum Catulum, alterum Lucullum appellauit, quorum posterior adhuc exstat: de quo Plutarchus in vita Luculli: deinde quia παρὰ τὸ πρέπον videbatur, quod erat hominibus non ignota, non illa quidem ἀπαιδευσία, sed in iis rebus ἀτριψία; eosdem illos sermones ad Catonem Brutumque transtulit. sed admonitus ab Attico totam illam Academicam σύνταξιν ab hominibus nobilissimis abstulit, transtulitque ad M. Varronem; et ex duobus libris contulit in quatuor: lib. XIII. ad Att. epist. 12. 13. et 15. atque ex his quatuor libris primi tantum particula exstat. Scripsit tum etiam, vt ex iisdem epistolis cognoscitur, de finibus: cumque fundamentum esset philosophiæ positum in finibus bonorum et malorum; perpurgatus est is locus quinque libris, vt quid a quoque et quid contra quemque Philosophum diceretur, intelligi posset. lib. II. cap. I. de Diuinat. Ita au-

autem confecit quinque libros περὶ τελῶν, vt Epicurea L. Torquato, Stoica M. Catoni, περιπατητικὰ M. Pisoni daret: epist. 18. lib. XIII. ad Att. Scripsit eodem tempore Laudationem Porciæ, sororis M. Catonis, et vxoris L. Domitii Ahenobarbi; epist. 36. et 47. lib. XIII. ad Att. Iam a scriptis alio transeamus. Post Tulliæ mortem Tullius M. F. Athenas cum L. Tullio Montano profectus est; in fine libr. XII. ad Attic. Seru. Sulpicius adhuc Achaiæ præerat, atque pridie Calend. Iun. Athenis ad Ciceronem dedit epist. 12. lib. IV. Fam. in qua eum certiorem facit de M. Marcello, qui a P. Magio Chilone occisus erat: Liuius lib. CXV. Cicero epist. 10. et 11. lib. XIII. ad Attic. A. Torquatus eo tempore Athenis exsulabat: ad quem sunt Ciceronis epistolæ lib. VI. Famil. In quarta epist. Seruius Athenis discessisse dicitur. Cæsar interim liberos Pompeii in Hispania vicit: e quibus Sextus profugit, Cneus prid. Id. April. interfectus est, auctore Hirtio de bello Hisp. cap. 32. et 39. Dolabella inde in Italiam profectus, ad Ciceronem Maio mense venit; epist. 8. lib. XIII. ad Attic. Cæsar deinde in vrbem mense Octobri reuertit, vt Paterculus lib. II. cap. 56. scribit. Initio eius mensis eum reuertisse, ex iis, quæ sequuntur, disces. In triumphalibus fragmentis tabularum Capitolinarum scriptum est, Q. Fabium Maximum coss. anno DCCVIII. ex Hispania III. Id. Octobr. triumphasse. Fabius autem consul non fuit, nisi post Cæsaris reditum ex Hispania. Cæsar enim

enim in vrbem reuersus consulatu se abdicauit, et in reliquum anni Q. Fabium, et C. Trebonium suffecit; auctore Dione lib. XLIII. atque hi sunt Consules, quos Cæsarem in quarto Consulatu sibi in ternos nouissimos menses substituisse, Suetonius Cæs. cap. 76. ait. Iam Cæsarem ante Q. Fabium triumphasse, non modo ex Dionis historia cognoscitur; sed et a Quintiliano lib. VI. cap. 3. * diserte scribitur. Quæ cum ita sint, considerandum, quomodo Cæsar ex Hispania reuertens a Cicerone tertiis Saturnalibus potuerit hospitio accipi; vt videtur significari epistol. vltim. lib. XII. ad Att. Post reditum Cæsaris ex Hispania Cicero apud eum dixit pro Deiotaro; quæ oratio exstat. Fuerat is tetrarcha Gallogræciæ pæne totius, et Armeniæ minoris rex a senatu constitutus. Sed quia bello ciuili Pompeii partes secutus fuerat; Cæsar, Pharnace deuicto, eum parte tetrarchiæ multauerat, Armeniamque abstulerat: Cicero Philip. II. cap. 37. Hirtius de bello Alexandrino cap. 78. Cum deinde Cæsar litteris Tarracone datis eum bene sperare, et bono animo esse iussisset: hoc tempore Castor, nepos Deiotari ex filia, Philippum medicum, seruum regis corruptum præmiis, ad accusandum dominum Deiotarum impulit. Crimini dedit, regem domi suæ Cæsarem interficere voluisse. Accusatum domi Cæsaris Ci-

* Sic edidi, cum Gruterus fecisset *cap. 6.* Editio Coloniensis haberet *lib. VI. et cap. 4.* Notat iocum de eboreis et ligneis oppidis.

Cicero hoſpes eius defendit; cauſamque, licet tenuem et inopem, tamen ſcripſit, atque ad Dolabellam miſit: epiſt. 12. lib. IX. Famil. Extremo huius anni die, Q. Fabio Maximo, conſule mortuo, C. Caninius Rebilus conſul hora ſeptima renuntiatus eſt, qui vſque ad Calend. Ian. eſſet; quæ erant futuræ mane poſtridie. Itaque Cicero dixit, eum mirifica vigilantia fuiſſe, qui ſuo toto conſulatu ſomnum non viderit; epiſt. 30. lib. VII. Famil. Macrobius lib. II. cap. 3. et VII. cap. 3. Pollio in libro de XXX. tyrannis cap. 8. Plinius lib. VII. cap. 53. Plutarchus in Cæſare et Dio lib. XLIII.

Anno vrbis DCCIX. *Ciceronis* LXIII. COSS. *fuerunt*,

C. IVLIVS CAESAR V. M. ANTONIVS.

EOdem anno, vt monumenta vetuſta oſtendunt, C. Iulius Cæſar dictator IV. fuit, et M. Aemilius Lepidus Magiſter equitum. Cicero poſt libros quinque de Finibus totidem Tuſculanarum quæſtionum ſiue diſputationum edidit, iisque res ad beate viuendum maxime neceſſarias aperuit. primus enim eſt de contemnenda morte; ſecundus de tolerando dolore; de ægritudine lenienda tertius; quartus de reliquis animi perturbationibus; quintus eum locum complexus eſt, qui totam philoſophiam maxime illuſtrat: docet enim ad beate viuendum virtutem ſe ipſa contentam.

lib.

lib. II. cap. 1. de Diuinat. Vtrum vero hi libri ad hunc, an superiorem annum referendi sint, nondum decerno; nec multum refert. De reliquis philosophicis libris deinceps dicemus, si prius acta vrbana exposuerimus. Initio huius anni M. Tullius Romæ fuit. Calend. quidem Ianuarii affuit in senatu, cum Cæsar P. Cornelium Dolabellam subrogare sibi, resistente Antonio, voluit; vt cognoscitur Philip. II. cap. 32. vide Plutarchum in Antonio. Lupercalibus, id est, XV. Calend. Martii, cum Cæsar in Rostris sedens in sella aurea, amictus toga purpurea, spectaret Lupercos: Antonius vnus e Lupercis ad sellam accessit, et capiti eius diadema imposuit; quod Cæsar cum plausu populi reiecit. Cicero Philipp. II. cap. 34. III. cap. 5. et XIII. cap. 8. Plutarchus, Appianus, Dio, et alii. Idibus Mart. Cæsar a coniuratis in Pompeii curia tribus et XX. plagis confossus est. eius coniurationis, vt Plutarchus scribit, Cicero particeps non fuit, quamuis M. Bruto familiarissime vteretur. verum, quia, Cæsare interfecto, statim cruentum alte extollens M. Brutus pugionem, Ciceronem nominatim exclamauit, atque ei recuperatam libertatem est gratulatus: Antonius, Ciceronis consilio Cæsarem interfectum, postea in senatu dixit. Phil. II. cap. 11. Dio lib. XLIV. ait percussores Cæsaris, cum e curia in forum se conferrent, crebro Ciceronem exclamasse. Receperunt illi se e foro in Capitolium, eoque Cicero etiam cum aliis permultis ascendit: neque tamen adduci potuit,

tuit, vt ad Antonium iret, atque ad defendendam remp. hortaretur. ſed, cum ceteri conſulares irent, redirent: ipſe in ſententia manſit, neque Antonium illo die neque poſtero vidit; vt ipſe in ſecunda Philipp. cap. 35. teſtatur. nec verum eſt, quod Plutarchus, Appianus, Dio, et interpretes Philippicarum ſcribunt, poſtridie Idus ſenatum in æde Telluris habitum fuiſſe. nam et in ſecunda Philipp. cap. iam dicto ſe poſt diem tertium in ædem Telluris veniſſe ait: et epiſt. 11. et 16. lib. XIV. ad Atticum id Liberalibus factum fuiſſe oſtendit, id eſt, a. d. XVI. Cal. April. Eo die M. Tullius, quantum in ipſo fuit, iecit fundamenta pacis, Athenienſiumque renouauit vetus exemplum: Græcum etiam verbum vſurpauit, quo tum in ſedandis discordiis vſa erat ciuitas illa; atque omnem memoriam discordiarum obliuione ſempiterna delendam cenſuit. Philipp. I. cap. I. Plura ſcripſi in cap. 2. lib. XII. Oroſii. Habuit ibi Antonius quoque orationem de concordia, eiusque paruus filius in Capitolium miſſus, pacis obſes fuit; Philipp. I. cap. I. et II. cap. 36. itaque interfectores, vt Plutarchus in Bruto, ſcribit, e Capitolio deſcenderunt, et Brutus apud Lepidum, Caſſius apud Antonium, ceteri apud alios cœnarunt. poſtero die prouinciæ iisdem in ſenatu decretæ fuerunt: Bruto Creta; Caſſio Africa; Trebonio Aſia; Cimbro Bithynia, D. Bruto Gallia citerior. Sed, cum Cæſar funere elatus, et a M. Antonio laudatus eſſet: plebs cum facibus ad domum Bruti, Caſſii, et aliorum teten-

tetendit, atque ægre vi manuque repulsa fuit. quod historici prope omnes scribunt, et cum illis Cicero libro XIV. ep. 10. ad Attic. et Philipp. II. cap. 36. Tum M. Brutus, et Cassius vrbem reliquerunt, et Antium atque Lanuuium profecti, diu ibi otiosi fuerunt; vt lib. XIV. et XV. ad Atticum videmus. Cicero quoque initio Aprilis ex vrbe rus profectus villas suas lustrauit; vt indicant epistolæ illæ, quæ initio lib. XIV. ad Att. hoc tempore scriptæ leguntur: nec quidquam eo tempore malebat, quam rusticari; epist. 23. lib. XVI. Famil. Hæc autem rusticatio nobis dedit tres libros de Natura Deorum, et duos de Diuinatione, et præterea dialogum de senectute, vt puto. quamuis enim ante libros de Diuinatione sit scriptus, vt procemium lib. II. ostendit: tamen hoc anno eum ad Atticum missum arbitror, cum is timidior πανικοῖς quibusdam commoueretur, et Cicero senectutem contemneret; epist. 23. lib. XVI. Famil. Ante Idus Maii scriptum fuisse, cognoscitur extremo lib. XIV. epistol. ad Attic. Eodem tempore Cicero, cum omnes cogitationes suas in concordia ciuium defixas haberet, atque omnium, etiam Antonii amicitiam retinere vellet; epistol. 23. lib. XVI. Famil. scripsit Lælium, siue de amicitia. Romæ interim a consulibus M. Antonio, et P. Dolabella, qui Cæsaris locum ceperat, vncus impactus est fugitiuo illi, qui in C. Marii nomen inuaserat, et in Liuiana epitoma lib. CXVI. Chamaces, ab Appiano lib. III. Ἀμάτιος ὁ ψευδομάριος, a

N Vale-

Valerio Max. lib. IX. cap. 16. Herophilus equarius medicus dicitur. De huius supplicio Attici litteras Cicero accepit XVII. Calend. Maii. epist. 8. lib. XIV. ad Attic. Mense Aprili et Maio Antonius Italiam percursauit; Dolabella, absente collega, bustum in foro euertit: Philipp. II. cap. 42. Plebs enim solidam columnam prope XX. pedum lapidis Numidici in foro in busto Cæsaris statuerat, et inscripserat, PARENTI PATRIAE: atque apud eandem sacrificabat, vota suscipiebat et controuersias quasdam, interposito per Cæsarem iureiurando, distrahebat, vt Suetonius in Cæs. cap. 85. scribit. Dio lib. XLIV. βωμὸν fuisse ait, ad quam Cæsari plebs sacrificia fecerit. Ara nominatur quoque epist. 2. lib. XI. Famil. Cicero columnam vocat, quam Dolabella sustulit, et homines seditiosos, quia * illam euersionem indigne ferebant, partim in crucem egit, alios de saxo deiecit: epist. 18. lib. XIV. ad Attic. et Philip. I. cap. 2. Meminit eiusdem rei Lactantius lib. I. cap. 15. vbi ait, Dolabellam Cæsaris columnam, id est, titulum, euertisse. De hoc facto gratulatur Cicero Dolabellæ consuli, epistol. 14. libri IX. Famil. C. Octauius, qui deinceps imperium tenuit, et Augustus dictus est, cum Cæsar, eius auunculus magnus, Romæ interficeretur, Apolloniæ erat. Factus autem certior de Cæsaris cæde in Italiam transiit, et Neapolim venit

* In Colon. editione est *qui illam*. Mox cur *Attiam* vocet matrem Augusti viderit, quæ Atia aliis.

nit XIV. Calend. Maii: epist. 10. lib. XIV. ad Attic. fuit etiam ruri cum Cicerone perhonorifice et amice, epistol. 12. eiusdem lib. Romam cum venisset, ab Antonio cos. superbe exceptus est. Adiit tum inuidiosam Cæsaris hæreditatem, quamuis id neque Attiæ matri, neque L. Marcio Philippo vitrico placeret. quod cum aliis historicis Velleius lib. II. cap. 60. et Suetonius Aug. cap. 8. scribunt. Adita hæreditate Cæsaris, nomen quoque eius tulit; cumque prius C. Octauius nominaretur, deinceps C. Iulius Cæsar Octauianus de more dictus est. quamquam lex curiata de adoptione eius anno demum sequente, cum iam consul esset, perlata fuerit; auctore Dione lib. XLVI. itaque Cicero eum modo Octauianum modo Octauium nominat. *Deinde aperte* (inquit Velleius) *Antonii ac Dolabellæ Consulum erupit furor. sestertium septies millies depositum a C. Cæsare ad ædem Opis occupatum est ab Antonio.* Hinc Cicero in Philipp. II. cap. 38. *Vbi est septies millies sestertium, quod in tabulis, quæ sunt ad Opis, patebat?* Mentionem eiusdem pecuniæ facit Philippica I. cap. 7. et V. cap. 4. et epist. 16. lib. XIV. ad Attic. *Rapinas*, inquit, *scribis ad Opis fieri.* Quibus in villis et locis M. Cicero mensem Aprilem et Maium rusticando posuerit, epistolæ lib. XIV. ad Att. demonstrant, quas illis mensibus scripsit. Hoc quoque ex iisdem, et ex epist. I. lib. XV. cognoscitur, A. Hirtium cos. designatum mense Maio cum Cicerone in Puteolano fuisse. Ibi tum

ſermonem de Fato habitum fuiſſe, ipſe initio libri de Fato teſtatur. De Timæo Platonis, qui liber de Vniuerſitate inſcribitur, certo ſciri non poteſt, quo tempore ſcriptus fuerit: quare in Corradi coniecturam, cui liber ille temporibus hisce videtur conuerſus, non inuitus deſcendo; cum præſertim conſtet, Ciceronem, niſi extremo hoc tempore, græcos ſcriptores, non vertiſſe. vide procemium lib. I. de fin. Extremo menſe Maio Tullius Romam verſus proficiſcens, vt Calend. Iunii in ſenatu, ſicut Antonius edixerat, adeſſet; ſcripſit epiſtolas, quæ initio lib. xv. ad Atticum leguntur. Calendis, cum Antonius Romam ſe, peragratis veteranorum coloniis, ſtipatum armis retuliſſet; ſenatores metu perterriti repente diffugerunt: Philip. II. cap. 42. IV. Nonas igitur Cicero ab vrbe abfuit; epiſt. 8. libr. xv. ad Attic. nec in vrbem rediiſſe, niſi pridie Calend. Septemb. videtur. Eo tempore de Officiis ſcribere aggreſſus eſt; epiſt. 13. lib. xv. ad Attic. ſed poſt reditum e curſu Achaico abſoluit. hoc vero tempore, cum haberet ius legationis liberæ, ea mente iter in Græciam ingreſſus eſt, vt Romæ adeſſet Calend. Ianuariis, quibus Hirtius et Panſa conſulatum erant inituri: Philipp. I. cap. 2. et in Cicerone Plutarchus. VI. Nonas Quintil. ex Arpinati ſcribens Attico epiſtola 26. lib. xv. ait, ſe itinera ſic compoſuiſſe, vt Nonis Puteolis eſſet; ſicut fuit, epiſt. I. lib. XVI. ad Attic. Cum autem Brundiſium, iterque illud, quod tritum in Græciam eſt, Cicero vitaret; vt ait Philipp. I. cap. 3. Veliæ fuit

fuit xiii. Cal. Sext. epist. 20. lib. vii. cap. 3. Famil. eumque diem ibi constitit. epist. 6. lib. xvi. ad Att. Velia proficiscens Topica ad Trebatium, cum secum libros non haberet, memoria repetita, in ipsa nauigatione conscripsit; et Rhegio librum ad Trebatium misit v. Cal. Sext. epist. 19. lib. vii. Fam. et in prooemio Topicorum. Miserat etiam paullo ante ad Atticum duos libros de Gloria, epist. 28. lib. xv. et 6. lib. xvi. ad Att. Meminit horum librorum ipse lib. ii. cap. 9. de Officiis; et Gellius lib. xv. cap. 6. Scribit in epistolis Franciscus Petrarcha, se hos libros habuisse; qui iam nusquam apparent. Cicero deinde in Siciliam transgressus Cal. Sext. venit Syracusas. Cum autem postero die venti ipsum ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini, detulissent: ab eo loco conscendit, vt transmitteret, et stadia circiter ccc. prouectus, reiectus Austro vehementi est ad eandem Leucopetram. cumque intempesta nox esset, mansissetque in villa P. Valerii comitis et familiaris sui; postridieque apud eundem, ventum exspectans, maneret: Rhegini quidam illustres eo venerunt Roma, qui summam spem nunciabant, fore, vt Antonius cederet, res conueniret, Caesaris interfectores Romam redirent. Addebant etiam, Ciceronem desiderari, et subaccusari. quae cum audisset, sine vlla dubitatione abiecit consilium profectionis: itaque celeriter Veliam deuectus, conuenit Brutum, qui cedens Italia cum suis nauibus erat apud Haletem fluuium circa Veliam. Philippica prima,

cap. 3. seq. et epist. 7. lib. XVI. ad Attic. Inde ventis remisque in patriam omni festinatione properauit, epist. 25. lib. XII. Famil. Accedenti ad vrbem tanta multitudo, vt Plutarchus scribit, obuiam processit; vt dum ad portas ingredientem excipiunt, aduentumque gratulantur, dies fere consumtus fuerit. Videtur autem verisimilius, eum pridie Calend. Septemb. Romam reuertisse, quod Plutarchi narratio ostendit; quam Calendis, vt ipse significare videtur epist. 25. lib. XII. Famil. Calendis Septemb. Antonius senatum habuit de supplicationibus Cæsari decernendis, et Ciceronem in Curiam vocauit; qui cum e via langueret, et sibimet displiceret, misit pro amicitia qui hoc ei diceret: Philipp. I. cap. 5. et V. cap. 7. Plutarchus ait, Ciceronem languoris caussam opposuisse; cum re insidias metuere ex quadam suspicione, et indicio, quod inter viam ei factum erat, videretur. Antonius id ægre ferens, palam in senatu, nisi veniret, fabros se missurum et domum eius disturbaturum dixit; Philipp. I. cap. 5. et V. cap. 7. Plutarchus scribit, Antonium milites misisse, quos Ciceronem adducere, vel domum eius incendere iusserit: sed, cum multi intercederent, et deprecarentur; pignoribus captis quieuisse. Venit postridie in senatum Cicero, cum Antonius non venisset: locutumque se de rep. minus quidem libere, quam sua consuetudo; liberius tamen, quam pericula minæque postulabant, ait Philippica V. cap. 7. At epist. 25.

lib.

lib. xii. Famil. * scribit, se postridie in summa reliquorum seruitute liberum vnum fuisse. Habuit tum in senatu primam orationem Philippicam: in qua primum itionis et reditionis suæ caussam exponit; deinde de Antonii iniuria, et Cæsaris actis disputat; ad extremum Antonium et Dolabellam coss. ad remp. moderate regendam cohortatur. Tum Antonius ira incensus, inimicitias Ciceroni denuntiauit, atque adesse in senatu iussit xiii. Cal. Octob. ipse interea septendecim dies de Cicerone in Tiburtino Scipionis declamitauit, et xiii. Calend. agmine quadrato in ædem Concordiæ venit, atque in Ciceronem absentem orationem ex ore impurissimo euomuit, omnibusque visus fuit suo more vomere, non dicere. Ciceroni autem, cupienti in senatum venire, per amicos non licuit; eo quod Antonius a Cicerone cædis initium quæreret, facturusque putaretur: Philipp. iii. cap. 12. et v. cap. 7. et epist. 25. lib. xii. Famil. Antonio M. Tullius respondit scripta nobili et diuina, vt Iuuenalis ait sat. X. v. 125. Philippica secunda: in qua primum crimina sibi obiecta refutat, et deinde totam Antonii vitam, a pueritia exorsus, reprehendit. Nec verum est, quod interpretes ad vnum omnes putarunt, Ciceronem illam orationem in senatu præsente Antonio habuisse: sed ita Cicero eam scripsit, quasi in præsentem Antonium

* Ediderat Gruterus, *ait Philip. V. Att. ep. 25. lib. XII. Famil.* quum Londinensis sequatur Gruterum. Omnia stulta et ridicula, et præter Fabricii manum.

XIII. Cal. Octob. habita esset. argumento sunt verba illa cap. 43. *Quaero deinceps, num, hodiernus dies qui sit, ignores: nescis heri quartum in circo diem ludorum Romanorum fuisse?* quartum diem ludorum Rom. in circo fuisse XIV. Calend. Octob. ex Calendario vetere notum est. Antonius deinde obuiam profectus est legionibus quatuor, quæ in Macedoniam a Cæsare missæ, post eius cædem in Italiam reuerterunt; vt eas pecunia sibi conciliaret, et ad vrbem, vel potius in vrbem adduceret: Brundisiumque venit VII. Idus Octob. epist. 23. lib. XII Famil. et Philipp. V. cap. 8. Profecto Antonio, Octauianus primum a Calatia, mox a Casilino veteranos paternos exciuit: quorum exemplum secuti alii breui in formam iusti exercitus coiere. Velleius lib. II. cap. 61. Cicero epist. 8. lib. XVI. ad Attic. Cum autem Antonius Brundisii militibus centenas drachmas promitteret: fortissimæ legiones eius promissis reclamarunt, et congiarium hoc accipere noluerunt. itaque centuriones domum ad se venire iussit, eosque ante pedes suos, vxorisque suæ iugulari coëgit: Cicero Philipp. III. cap. 2. et 4. V. cap. 8. et XIII. cap. 8. et epist. 8. lib. XVI. ad Att. Dio lib. XLV. Appianus lib. III. Cicero tum rusticabatur, atque libros de officiis perficiebat; vt cognoscitur epist. 8. et sequentibus lib. XVI. ad Att. Sunt etiam, qui eo tempore paradoxa scripta fuisse existiment; quod secundo paradoxo in Antonium inuehi videatur: quamuis in procemio de Catone

qua-

quasi viuo loquatur. Antonius, cum edixisset, vt adesset senatus frequens a. d. VIII. Calend. Decemb. eumque diem obire neglexisset; in ante diem quartum Calend. distulit, adesse in Capitolio iussit. quo cum de legione Martia et Quarta, quæ relicto Antonio ad Cæsarem Octauianum transierant, nuntius esset allatus: mente concidit; et paludatus in Galliam citeriorem, quam a populo obtinuerat, cum ea D. Bruti prouincia esset, properauit. Dio, Appianus, Velleius, Cicero ipse Philippica tertia (cap. 8. et 9.) et sequentibus. Sed Antonium Brutus prouincia exclusit, atque exercitu obsistens edictum proposuit; quo promittebat, se prouinciam Galliam retenturum in senatus populique Rom. potestate: Philip. III. cap. 4. et 15. Quare cum Cicero v. Idus Decemb. Romam venisset, vt scribit epist. 5. lib. XI. Famil. tribuni pleb. edixerunt, vt senatus adesset a. d. XIV. Cal. Ian. Statuerat Cicero ante Calendas Ianuar. in senatum non venire: sed cum eo die ipso edictum D. Bruti propositum esset; mane in senatum venit. quod vbi est animaduersum, frequentissimi senatores conuenerunt; ep. 6. lib. XI. Famil. Retulerunt tribuni pleb. ad senatum de præsidio consulum des. Pansæ et Hirtii, vt senatus Calendis Ianuarii tuto haberi, sententiæque de summa republ. libere dici possent. Tum M. Tullius, rogatus sententiam, censuit, vt et præsidium decerneretur; et quæ Octauianus Cæsar egisset, publica auctoritate confirmarentur; et milites, qui ab An-

tonio ad Cæsarem transissent, præmiis afficerentur: item vt D. Brutus, ceterique prouincias suas retinerent, neque cuiquam traderent, nisi qui ex S. C. successisset. quam sententiam Cicero Philipp. tertia complexus est; factoque S. C. in eius sententiam, progressus in concionem, quid in senatu actum esset, populo exposuit: quæ est Philippica quarta. Huius S. C. meminit etiam Dio lib. XLV.

Anno vrbis DCCX. *Ciceronis* LXIV. COSS. *fuerunt*,

C. VIBIVS PANSA, A. HIRTIVS.

CAlendis Ianuarii consules statim post sollemnem religionem senatum in Capitolio de Antonio, qui tum Mutinam circumsedebat, et D. Brutum oppugnabat, habuerunt; vt Appianus lib. III. scribit. Ibi L. Piso et alii nonnulli mitiorem sententiam de Antonio dixerunt, legatosque ad eum mittendos censuerunt. Cicero cum suis id egit, vt hostis Antonius iudicaretur. Habuit tum Cicero in senatu quintam Philippicam: in qua non modo legationem dissuadet, verum etiam bello Antonium persequendum esse censet; agit etiam de honoribus decernendis iis, qui rempubl. aduersus Antonium defendant. Eo die nihil in senatu confectum est: sed, controuersia usque ad noctem ducta, senatum esse dimissum, Appianus scribit. Postridie Antonius ho-

hostis, ita vt Tullius censuerat, iudicatus fuisset, nisi Saluius tribunus pleb. intercessisset: decreuit tamen senatus, vt D. Brutus laudaretur, quod Galliam Antonio non concessisset; item, vt Cæsar vna cum Hirtio et Pansa exercitu illo, quem haberet, bellum administraret, atque statua illi poneretur, vt sententiam loco consulari diceret, consulatumque decem annis prius, quam leges permitterent, illi petere liceret, quantamque pecuniam militibus earum legionum, quæ Antonium reliquissent, parta victoria pollicitus esset, tanta publice daretur. Hæc Appianus lib. III. vbi addit, insequenti die fuisse decretos legatos ad Antonium cum mandatis, quæ Ciceronem scribere senatus voluerit. Dio lib. XLV. et XLVI. eadem fere narrat, et senatum a Calendis Ianuar. per triduum habitum; sententiasque dictas, et tandem legationem ad Antonium missam fuisse, ait. Itaque pridie Nonas Ianuar. factum Senatusconsultum fuit, vt Seru. Sulpicius. L. Piso, et L. Philippus cum mandatis ad Antonium proficiscerentur: quam rem M. Tullius eodem die in concione exposuit habita oratione, quam sexta Philippica comprehendit. de legatis vide epist. 8. lib. XI. 4. et 24. libri XII. Famil. Cum legati ad Antonium missi exspectarentur, eiusque amici responsa illius confingerent: M. Tullius metuens, ne senatorum animi ad pacem inclinarent, habuit in senatu Philippicam septimam. in qua pacem tribus de caussis dissuadet: primum, quia sit turpis, deinde, quia periculosa, postremo,

mo, quia esse non possit. In legatione Ser. Sulpicius mortem obiit. Piso et Philippus Romam reuersi ab Antonio ad senatum intolerabilia postulata retulerunt; ep. 4. lib. XII. Famil. Dio lib. XLVI. Tumultus interim a senatu fuit decretus; cum belli nomen in sententia poni quibusdam non placeret: id quod Cicero Philippica octaua reprehendit; quam ante Idus Martias in senatu dixit, grauiter inuehens in Q. Fusium Calenum, qui Antonio studebat. Deinde, cum de ornando Seru. Sulpicio in senatu ageretur: Cicero nonam Philippicam dixit; suadens, vt Sulpicio statua pedestris ænea in rostris poneretur, quam sua ætate pro rostris Augusti exstitisse, Pomponius de Origine iuris testatur. M. Brutus anno superiore ex Italia in Græciam profectus, cum Athenas venisset, adolescentes nobiles Romanos, quorum magna multitudo illic bonarum artium causa erat; sibi adiunxit: in his fuit M. Ciceronis filius: quem Brutus, vt Plutarchus scribit, summis laudibus efferebat, inquiens, se illum, siue vigilaret, siue dormiret, admirari, quod animus in eo tam generosus, tantumque odium tyrannorum esset. Brutus inde in Macedoniam transgressus, Ciceronem filium secum duxit, eoque legato vsus multa feliciter gessit; vt Plutarchus in Bruto testatur. Et Brutus in epistola ad Ciceronem patrem, quæ nunc est quarta libri, qui ad Brutum exstat, ita scribit: *Cicero filius tuus sic mihi se probat industria, patientia, labore, animi magnitudine, omni deni-*

denique officio, vt prorsus nunquam dimittere videatur cogitationem, cuius sit filius. Vt vel hinc eorum imperitia (ne quid grauius dicam) arguatur, qui verum esse non putant, quod Cicero lib. II. cap. 13. de Officiis ait, filium bello ciuili a Pompeio alæ alteri præfectum, magnam laudem et a summo viro, et ab exercitu consecutum fuisse equitando, iaculando, omniaque militari labore tolerando. Sed ad propositum. Venit M. Brutus in Macedoniam, cum Q. Hortensio decedenti C. Antonius Marci frater succederet. Sed Hortensius exercitum, quem delectu habito conscripserat, Bruto tradidit. legio etiam, quam L. Piso legatus Antonii ducebat, Ciceroni filio se tradidit. equitatus, qui in Syriam ducebatur bipertito, alter eum quæstorem, a quo ducebatur, reliquit in Thessalia, seseque ad Brutum contulit: alterum in Macedonia Cneus Domitius adolescens a legato Syriaco, qui a Plutarcho Cinna vocatur, abduxit. P. Vatinius, qui Dyrrhachium occupauerat, portas Bruto aperuit, et exercitum tradidit. C. Antonius se Apolloniam recepit. Cicero Philipp. x. cap. 5. et 6. Plutarchus in Bruto, et Dio lib. XLVII. His de rebus Brutus litteras publice misit; quas C. Pansa consul coacto senatu recitauit, et Brutum oratione sua ornauit. Sed Q. Fufius rogatus sententiam, Brutum oppugnauit. contra quem Cicero tum Philippicam decimam dixit; quam Brutus epist. 4. de litteris suis * habitam esse contra Ca-

* Hanc vocem cur Gruterus et alii omittunt?

Calenum, ait. Erat Apolloniæ adhuc C. Antonius cum ſeptem cohortibus; Philippica x. cap. 7. Inde Buthrotum contendens in itinere primum tres cohortes amiſit, quas Brutus concidit: deinde prœlio cum Cicerone filio ad Byllidem commiſſo, victus in Bruti poteſtatem venit; vt Plutarchus in Bruto ſcribit. Antonium Brutus ſecum diu honorifice habuit, uſque eo, vt magiſtratus inſignia illi non adimeret: quam eius clementiam Cicero in epiſtolis ad eum ſcriptis ſæpe accuſat. Sed, cum Antonius Apolloniam teneret, ante Calend. Aprilis Romam allatum fuit de morte C. Trebonii; quem P. Dolabella Smyrnæ, verberibus ac tormentis quæſtione publicæ pecuniæ per biduum habita, interfecit. Cicero Philipp. vndecima cap. 2. et Dio XLVII. Itaque Dolabella a ſenatu hoſtis iudicatus fuit. Poſtridie cum in ſenatu ageretur de Imperatore deligendo, qui bello Dolabellam perſequeretur: L. Cæſar cenſuit, P. Seruilio hoc bellum extra ordinem mandandum eſſe; aliis nonnullis placuit, vt conſules Dolabellæ perſequendi cauſa Aſiam et Syriam ſortirentur. Cicero ſententiam rogatus Philippicam vndecimam dixit. in qua primum Trebonii caſum deplorans, Dolabellæ et Antonii crudelitatem accuſat: deinde duabus illis ſententiis refutatis, cenſet, vt Dolabellam C. Caſſius bello perſequatur. quam ſententiam ſe repugnante et iraſcente Panſa dixiſſe, ad Brutum ſcribit epiſt. 5. ea ſententia dicta, quæ facile valuiſſet, niſi Panſa vehementer obſtitiſſet; pro-

ductus

ductus fuit in concionem a tribuno pleb. M. Seruilio, eandemque rem ad populum summa contentione egit: epist. 7. lib. XII. Famil. Extremo anno superiore turbinis vi simulacrum, quod M. Cicero ante cellam Mineruæ pridie, quam in exsulium iret, posuerat, dissipatum membris pronum iacuit fractis humeris, brachiis, capite, mortem Ciceroni portendens; vt Obsequens et Dio lib. XLV. scribunt. Quinquatribus, id est XIV. Cal. Apr. senatus decreuit, vt hæc Ciceronis Minerua, custos vrbis, restitueretur, epist. 25. lib. XII. Famil. Deinde illata pacis mentione ab Antonii amicis, senatus legatos ad eum decreuit M. Ciceronem, et P. Seruilium. Sed, cum eam legationem frustra fore Cicero videret, habuit in senatu Philippicam duodecimam: in qua legationem dissuadet, seque ad eam obeundam idoneum non esse demonstrat. Meminit huius legationis Dio quoque lib. XLVI. Pansa deinde initio mensis Aprilis, vt arbitror, ad bellum profecto, M. Aemilius Lepidus (qui, auctore Paterculo lib. II. cap. 63. pontifex Max. in C. Cæsaris locum furto creatus, decreta sibi Hispania, adhuc in Gallia morabatur) Romam ad senatum misit, ad pacem cum Antonio faciendam cohortans. ea de re cum in senatu ageretur, multi pacem suaserunt: quod incertus exitus belli esset; et quod Lepidus ad pacem hortaretur, qui exercitu cogere posset. tum M. Tullius rogatus sententiam, Philippicam XIII. in senatu dixit: in qua aduersariorum rationes confutans, pacem

cem cum Antonio et Antonianis esse non posse docet; et Antonii animum ex litteris ad Hirtium et Octauianum missis declarat. Cicero tum quoque ad Lepidum misit epist. 27. lib. x. Famil. in qua illum, ne se in istam pacificationem interponat, hortatur. Post profectionem Pansæ consulis turbulentissimum tempus fuit, cum D. Brutus Mutinæ vix iam sustineret. itaque cum tristis a Mutina fama manaret, omnesque aut fœdissimam mortem, aut miserabilem fugam cogitarent: inflati lætitia atque insolentia impii ciues famam dissipauerunt, Ciceronem pridie Vinalia cum fascibus descensurum esse. Interim xvii. Calend. Maii, vt Galba ad Ciceronem scribit epist. 30. lib. x. Famil. seu, vt Ouidius lib. iv. v. 627. Fast. indicat, xviii. Calend. Maii, Antonius prælio ad Mutinam superatus est. Habuit paucis diebus post concionem Romæ P. Appuleius tribunus pleb. in qua cum liberare Ciceronem suspicione fascium vellet, vna voce cuncta concio declarauit, nihil esse a M. Tullio vnquam de republica, nisi optime, cogitatum. Duabus tribusue horis post optatissimi nuntii et litteræ de victoria Mutinensi venerunt. quo tempore tantæ multitudinis, quantam vrbs capiebat, ad Ciceronem concursus est factus; a qua ille maximo clamore atque plausu in Capitolium deductus, et in rostris collocatus, domum inde reductus est. Hæc sunt apud Ciceronem Philip. xiv. cap. 6. epist. 2. 6. et 7. ad Brut. et epist. 30. lib. x. et 6. lib. xii. Famil. Pridie Vinalia, id est x. Calend. Maii, Cicero

ha-

habuit Philippicam decimam quartam. in qua supplicationem dierum quinquaginta, trium Imperatorum Pansæ, Hirtii, et Cæsaris nomine, ob Antonium hostem superatum decernit: atque ad extremum eos, qui in prælio ceciderant, laudat, eorumque proximos consolatur. de supplicatione L. dierum vide Appianum lib. III. Cum Hirtius in prœlio cecidisset, et Pansa ex vulneribus paucis diebus post Bononiæ mortuus esset: rumor percrebuit, Ciceronem coss. factum esse: epist. 8. ad Brut. Plutarchus et Appianus scribunt, M. Tullium ab Octauiano ad consulatus petitionem inductum fuisse. V. Calend. Maii senatus habitus fuit de iis, qui hostes iudicati erant, bello persequendis; epist. 9. ad Brut. Dedit eo tempore Cicero plures litteras ad D. Brutum, et L. Plancum, vt fusum Antonium persequerentur. quæ libr. X. et XI. Famil. exstant. Interim Antonius fuga transgressus Alpes primo spe colloquii repulsus a M. Lepido; mox sæpius in conspectum veniens militum, per auersa castrorum proruto vallo a militibus receptus est: Paterculus lib. II. cap. 63. Plutarchus in Antonio, Appianus lib. III. Lepidus se cum Antonio coniunxit a. d. IV. Calend. Iun. epist. 23. lib. X. Famil. Pridie Calend. Quintil. Lepidus sententiis omnibus hostis a senatu iudicatus est, ceterique qui vna cum illo a republ. defecerant: quibus tamen ad sanita-

O tem

tem redeundi ante Calend. Septemb. poteſtas facta fuit. epiſt. 10. lib. XII. Famil. epiſt. 16. et 19. ad Brut. et Dio lib. XLVI. Octauianus Cæſar, vt cognouit Antonium a Lepido receptum, ceterosque duces et exercitus conſentire pro partibus; cauſam optimatium ſine cunctatione deſeruit: ad prætextum mutatæ voluntatis dicta factaque quorundam calumniatus, quaſi alii ſe puerum, alii ornandum tollendumque iactaſſent. Suetonius in Auguſto cap. 12. Paterculus lib. II. cap. 62. Brutus epiſt. 20. lib. XI. Famil. Tum inter eum et Antonium commercia epiſtolarum, et conditionum facta mentio; quod Paterculus ſcribit. cumque effeciſſet, vt milites inter ſe iureiurando ſancirent, cum nullo exercitu, qui C. Cæſaris fuiſſet, bellum ſe geſturos; quadringentos milites Romam ad ſenatum miſit, qui conſulatum ſibi nomine exercitus depoſcerent. cum quidem cunctante ſenatu, Cornelius centurio, princeps legationis, reiecto ſagulo oſtendens gladii capulum, non dubitaſſet in curia dicere; *Hic faciet, ſi non feceritis vos.* Suetonius Aug. cap. 26. et Dio libro XLVI. vbi addit, Ciceronem ſubieciſſe: *Si ita conſulatum petieritis, eum accipiet.* Militibus re infecta ad Octauianum reuerſis, Antonium et Lepidum in Italiam arceſſiuit, atque ipſe legiones ad vrbem hoſtiliter admouit: Suetonius, Dio et Appianus; qui ſcribit, Ciceronem tum ad Octauianum veniſſe,

nisse, ac paullo post lectica ex vrbe fugisse. C. autem Cæsar Octauianus consul cum Q. Pedio statim factus est, vt omnes annales testantur. Consulatum Cæsarem iniisse pridie, quam xx. annos impleret, x. Calend. Octobris, Paterculus lib. II. cap. 65. auctor est. In Liuiana epitoma lib. CXIX. legitur, Cæsarem consulem creatum esse, cum annos XIX. haberet. Plutarchus in Bruto ex Octauiani commentariis refert, ipsum vigesimum annum egisse, cum consul primum est factus. Eutropius initio libr. VII. ait, Cæsarem Romam cum exercitu profectum extorsisse, vt sibi vigesimo anno consulatus daretur. Suetonius in Augusto cap. 31. scribit, eum in ordinatione anni Sextilem mensem e suo cognomine nuncupasse; quod eo sibi et primus consulatus, et insignes victoriæ obtigissent. Similiter Dio lib. LVI. tradit Octauianum XIX. die Augusti, eodem, quo primum consulatum ceperat, decessisse. Cæsar Octauianus cos. legem tulit de quæstione habenda in eos, quorum opera pater occisus esset; Liuius lib. CXX. Appianus lib. III. Dio lib. XLVI. Auctor legis fuit Octauianus, tulit Q. Pedius collega: vnde lex Pedia nominatur; eaque omnibus, qui Iulium Cæsarem interfecerant, aqua ignique interdictum est. Velleius lib. II. cap. 69. Suetonius in Nerone cap. 3. Consul factus Octauianus Ciceronem, vt Plutarchus in eius vita scribit, valere iussit; et pace cum Antonio Lepidoque facta, copias

omnes in vnum locum contraxerunt, ibique imperium Rom. quasi possessionem aliquam inter se diuiserunt. Partiti sunt autem prouincias inter se hoc modo, vt Cæsar vtramque Africam cum Sicilia, et Sardinia; Lepidus Hispanias et Galliam Narbonensem; Antonius reliquas Gallias haberet: Appianus lib. IV. Dio lib. XLVI. Inter hos etiam conuenit, vt ipsi triumuiri reipubl. constituendæ per quinquennium essent; et vt suos quisque inimicos proscriberet: in qua proscriptione plurimi equites, CXXX. senatorum nomina fuerunt, vt est in epitoma libr. CXX. Tu vide Orosium nostrum lib. VI. cap. 18. Cæsarem restitisse aliquamdiu collegis, ne qua fieret proscriptio; sed inceptam vtroque acerbius exercuisse, Tranquillus Aug. cap. 27. ait. Maximam vero contentionem, inquit Plutarchus, Ciceronis proscriptio præbuit; cum Antonius nullam conditionem acciperet, nisi primus ille interficeretur, Lepidus Antonio assentiretur, et Cæsar vtrique repugnaret. Congressus horum trium occultus in triduum fuit apud Bononiam, in loco remoto a castris, et flumine circumfuso; vt Plutarchus non solum in Cicerone. sed et in Antonio tradit. Dio quoque lib. XLVI. scribit, triumuiros conuenisse in parua insula fluminis, quod Bononiam præterlabitur. Appianus initio libri quarti ait, eos congressos esse ad Mutinam in Lauinii fluuii insula. Sed trium virum copias ad Bononiam contractas fuisse, Suetonius

etiam

etiam in Augusto cap. 96. auctor est et Florus cap. 5. lib. IV. tradit, pacem inter tres duces factam apud confluentes inter Perusiam et Bononiam. Ibi aiunt Cæsarem primis diebus, vt Plutarchus narrat, pro Ciceronis salute cum aliis concertasse, ac tertio die concessisse, eiusque vitam prodidisse. fuitque permutatio ita facta; Ciceronem Cæsar, L. Paullum fratrem Lepidus, L. Cæsarem auunculum Antonius proscribi permisit. *Sed nihil*, ait Paterculus lib. II. cap. 66. *tam indignum illo tempore fuit, quam quod aut Cæsar aliquem proscribere coactus est, et ab illo Cicero proscriptus est.* Cesserat ille sub aduentum III. virorum vrbe, vt ex Liuio Seneca lib. I. Suasoriarum 7. refert, pro certo habens, id quod erat, non magis Antonio eripi se, quam Cæsari Cassium et Brutum posse. Primo in Tusculanum fugerat: inde transuersis itineribus in Formianum, vt ab Caieta nauim conscensurus proficisceretur. vnde aliquoties in altum prouectum cum modo venti aduersi retulissent, modo ipse iactationem nauis cæco voluente fluctu pati non posset: tædium tandem eum et fugæ et vitæ cepit; regressusque ad superiorem uillam, quæ paullo plus mille passibus a mari abest. *Moriar*, inquit, *in patria sæpe seruata.* Hactenus Liuius: Plutarchus vero ita. Erat Cicero in Tusculano cum Quinto fratre: cognita vero proscriptione, Asturam in maritimum Ciceronis fundum proficisci, atque inde in Macedoniam

ad M. Brutum, de cuius victoria læti rumores afferebantur, transire constituerunt. Ferebantur lecticis confecti mœrore, atque in itinere subsistentes, iunctis lecticis inter se casum suum deplorabant. Quintus vero magis angebatur animo, atque inopiæ illi in mentem veniebat; nihil enim secum se domo extulisse dicebat; Marco etiam perexiguum viaticum erat: satius igitur esse affirmabat, Marcum fuga antecedere, se * conuasatum domum recurrere. Hoc consilio probato, complexi inter se, multisque lacrymis profusis, digressi sunt. Quintus non ita multis diebus post a seruis proditus inquisitoribus, vna cum filio suo interfectus est. Ita quidem de Q. Cicerone Plutarchus: Appianus in hanc sententiam. Q. Cicero cum filio comprehensus percussores orabat, vt se ante filium necarent: quod cum filius contra fieri obsecraret, illi se eorum controuersiam composituros dixerunt; itaque alii hunc, alii illum arripientes eodem signo ambos simul occiderunt. Dio lib. XLVII. ita: Q. Ciceronem M. fratrem filius de medio remouit, et, quantum in ipso fuit, seruauit. nam et patrem occultauit, vt inueniri non posset; et ea de causa tormentis omnibus excruciatus indicium nullum fecit: sed pater, re intellecta, cum admiratione filii, tum misericordia

* Necessaria erat hæc vocula, quam Gruterus aliiq. post eum omnes neglexerant temere: plane et Plutarchus ἀυτὸν δὲ.

dia adductus vltro prodiit, seque ipse percussoribus tradidit. Redeamus nunc ad Plutarchum. Cicero, inquit ille, Asturam delatus, nauem, quam nactus fuit, subito conscendit, et oram legens Circæum usque vento peruenit. Inde soluere * gubernatores cum pararent, vel maris metu permotus, vel Cæsaris fidem non plane desperans, in terram egressus est: et millia passuum XIII. fere pedibus Romam versus progressus, animi pendere cœpit, sententiaque mutata rursus ad mare descendit, ibique noctem grauibus et incertis cogitationibus traduxit; adeo, vt in animo haberet, Cæsaris domum clam ingredi, sibique ante lares eius manus inferre, atque ita furiales intemperias illi impingere. Sed ab ea ratione cruciatus metu depulsus, alia rursus tumultuosa consilia in pectus instituit; et seruis se ad Caietam deportandum nauigio commisit, vbi prædia habebat, et blandum æstate Etesiarum diebus perfugium. est ibidem supra mare sacellum Apollinis: vnde corui cum clan-

* Ex Plutarchi verbis non patet, eum appulisse litori vel portui Circeiensi, vt hactenus oram legens et perueniens rursus soluere inde debuerit; sed oram legens venit e regione Circeiorum, vt maneret nauigans; verum inde omissa ora altius mare intrare statuebant nautæ. ἐκεῖθεν δὲ βουλομένων εὐθὺς αἴρειν τῶν κυβερνητῶν. Illud εὐθὺς nec Fabricius, nec interpres Plutarchi intellexit.

clangore ad Ciceronis nauem, quæ ad litus appellebatur, confertim aduolarunt, atque ex vtraque parte antennæ insidentes partim crocitarunt, partim rudentum capita rostris tutuderunt; idque signum omnibus infaustum est visum. Cicero tamen egressus in villam se recepit, et quieti dedit: ibi coruorum magna pars tristi voce ad fenestram assedit; vnus in lectum deuolauit, et rostro vestem, qua Cicero tectus erat, paulatim ab ore ipsius remouit. De eadem re Valerius lib. 1. cap. 4. *M. Ciceroni mors imminens auspicio prædicta est: cum enim in villa Caietana esset, coruus in conspectu eius horologii ferrum loco motum excussit, et protinus ad ipsum tetendit, ac laciniam togæ eo usque morsu tenuit, donec seruus, ad occidendum eum milites venisse, nuntiaret.* hactenus Valerius: ex quo perspicue cognoscitur apud Plutarchum ἐς καπίτας mendose non pro Capua, sed Caieta legi; quamuis Appianus Capuam nominet, ad quam fuerit hæc Ciceronis villa, in qua aduentantibus inquisitoribus a coruis e somno excitatus sit. Sequitur in Plutarcho: Serui hæc aspicientes suam ipsi ignauiam damnarunt, si herilis cædis spectatores esse sustinerent: cumque bestias domino opem ferre ac pro indigno eius casu solicitas esse viderent, ipsi eum non defenderent; partim precibus partim vi impositum lecticæ ad ma-

mare detulerunt. Interim percussores cum ministris superueniunt, Herennius centurio, et Popillius tribunus militum; quem parricidii reum Cicero olim defenderat.

De Popillio hoc multa Seneca in Declamationibus et Suasoriis. de eodem Valerius lib. v. cap. 3. *M. Cicero C. Popillium Lanatem Picenæ regionis, rogatu M. Cælii, non minore cura, quam eloquentia defendit; cumque causa admodum dubia fluctuantem, saluum ad penates suos remisit. hic Popillius postea nec re, nec verbo a Cicerone læsus, vltro M. Antonium rogauit, vt ad illum proscriptum persequendum et iugulandum mitteretur: impetratisque detestabilis ministerii partibus, gaudio exsultans Caietam cucurrit, et virum, omitto quod amplissimæ dignitatis, certe salubri studio* (ita lege e manuscriptis) *præstantis officii priuatim sibi venerandum, iugulum præbere iussit; ac protinus caput Romanæ eloquentiæ, et pacis clarissimam dexteram per summum et securum otium amputauit, eaque sarcina, tanquam opimis spoliis, alacer in vrbem reuersus est, neque ei scelestum portanti onus succurrit, illud se caput ferre, quod pro capite eius quondam perorauerat.*

Sequitur apud Plutarchum: Percussores cum fores clausas inuenissent, eas effregerunt: cumque Cicero non appareret, et ii, qui intus erant, scire se, vbi esset, negassent; aiunt adolescentem quendam, a Cicerone in bonis litteris et disciplinis educatum, Quinti fratris libertum, Philologum nomine, tribuno dixisse, lecticam per siluestres et opacas ambulationes ad mare deferri. Tribunus igitur cum paucis comitibus circum ambulationes ad exitum cucurrit. Herennius recta per easdem accurrit: quod vbi Cicero animaduertit, seruos lecticam ibi deponere iussit. *Satis*, inquit Liuius, *constat, seruos fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimicandum: ipsum deponi lecticam, et quietos pati, quod sors iniqua cogeret, iussisse.* Appianus scribit, multos discurrisse quærentes, num alicubi Cicero visus esset: cumque alii beneuolentia et misericordia permoti, eum in alto esse dixissent; clientem Clodii, acerrimi inimici Ciceronis, Popillio Lænati, tribuno militum, indicasse viam, qua lectica deportabatur; eo illum irrupisse. et cum seruos longe plures, quam ipse secum habebat, ad dimicandum paratos vidisset: callide exclamasse, *Tribuni, qui in extremo agmine sunt, ingrediantur;* tum seruos maiorem multitudinem exspectantes perterritos fuisse. *Cicero*, ait Aufidius Bassus apud Senecam,

cam, *paullum remoto velo; postquam armatos vidit: Ego vero consisto, ait; accede veterane, et, si hoc saltem potes recte facere, incide ceruicem. trementi, deinde dubitantique: Quid si ad me, inquit, primum venissetis.* Butridius Niger apud eundem: *Elapsus interim altera parte villæ Cicero lectica per agros ferebatur; sed vt vidit appropinquare notum sibi militem Popillium nomine, memor, defensum a se, lætiore vultu aspexit. at ille, victoribus idipsum imputaturus occupat facinus, caputque decisum, nihil in vltimo fine vitæ facientis, quod alterutram in partem posset notari, Antonio portat, oblitus se paullo ante defensum ab illo. Prominenti*, inquit Liuius, *ex lectica, præbentique immotam ceruicem, caput præcisum est: nec satis stolidæ crudelitati militum fuit, manus quoque, scripsisse aliquid in Antonium exprobrantes, præciderunt.* Plutarchus: Cicero mentum, ita vt consueuerat, tangens, in percussoribus oculos constanter fixit squaloris plenus, et capillo demisso, macieque ob sollicitudines confectus; vsque eo, vt plurimi, Herennio eum iugulante, capita obnuberent. Occisus est præbens ceruicem extra lecticam; cum annum iam LXIV. ageret. Præcidit illi iussu Antonii caput et manus, quibus Philippicas scripserat. *Vixit*, ait Liuius, *tres et LX. annos: vt, si vis*

vis abfuiſſet, *ne immatura quidem mors videri poſſit*. Euſebius: Cicero in Formiano ſuo ab Herennio et Popillio occiditur LXIV. ætatis ſuæ anno. Appianus *: Occiſo Cicerone quidam equis, alii nauigiis incitatis properabant Antonio hunc nuntium perferre; eique in foro ſedenti Lænas caput et manum eminus oſtendit. quo ille maxime lætatus, tribunum militum coronauit, et H-S. decies centena millia ei pro maximo præmio dedit; quod ſummum et infenſiſſimum ſuum inimicum occidiſſet. Plutarchus: Cum membra Ciceronis Romam perlata eſſent, Antonius, qui tum forte comitia habebat, iis viſis exclamauit: Proſcriptionem iam peractam eſſe: caput autem et manus pro roſtris ** poni iuſſit, ſpectaculum horrendum Romanis, qui ſe non Ciceronis vultum, ſed imaginem animi Antonii videre putabant. Dio lib. XLVII. Vbi Ciceronis caput allatum fuit, Antonius multis et grauibus probris illatis, illud pro roſtris, loco

* Sed modum occidendi accuratiſſime refert Appianus in verbis, quæ neſcio cur Fabricius omiſerit. Lænas ἐκ τῦ φορείυ τὴν κεφαλὴν ἐπισπάσας ἀπέτεμνεν, ἐς τρὶς ἐπιπλήσσων ϗ ἐπιδιαπρίζων ὑπὸ ἀπειρίας. In percuſſore igitur non conuenit Plutarcho, qui clare Herennium ſtatuit, cum Appiano, qui manifeſte Popillium.

** Et quidem ἐπὶ τῦ βήματος.

eo præ aliis conspicuo, poni iussit; vt, vnde in ipsum verba faciens auditus fuerat, ibi caput eius cum manu dextra, quæ simul præcisa fuerat, conspiceretur. Fuluia vero caput, antequam auferretur, in manus sumsit; atque atrocibus verbis illudens et conspuens genibus suis imposuit; et linguam ex ore extractam acubus, quibus ad capitis ornatum vtebatur, compunxit, additis multis iisque exsecrandis opprobriis. Liuius: *Ita relatum caput ad Antonium, iussuque eius inter duas manus in rostris positum, vbi ille Consul, vbi sæpe consularis, vbi eo ipso anno aduersus Antonium, quanta nulla vnquam humana vox, cum admiratione eloquentiæ auditus fuerat. vix attollentes lachrymis oculos homines intueri trucidata membra eius poterant.* Cremutius Cordus: *Præcipue tamen soluit pectora omnium in lacrymas gemitusque visa ad caput eius deligata manus dextra, diuinæ eloquentiæ ministra; ceterorumque cædes priuatos luctus excitauerunt, illa vna communem.* Mortem Ciceronis versibus elegantissimis deplorauit Cornelius Seuerus: in quibus sunt, qui sequuuntur.

Abstulit vna dies æui decus, ictaque luctu
Conticuit Latiæ tristis facundia linguæ,
Vnica sollicitis quondam tutela salusque,
Egre-

Egregium semper patriæ caput: ille Senatus.
Vindex, ille fori, legum, ritusque togæque.
Publica vox sæuis æternum obmutuit armis.
Informes vultus, sparsamque cruore nefando
Caniciem, sacrasque manus, operumque ministras
Tantorum, pedibus ciuis proiecta superbis
Proculcauit ouans, nec lubrica fata Deosque
Respexit: nullo luet hoc Antonius æuo.

Paterculus post narratam cædem M. Tullii, in hæc verba erumpit cap. 66. *Nihil tamen egisti, M. Antoni, mercedem cælestissimi oris et clarissimi capitis abscisi numerando, auctoramentoque funebri ad conseruatoris quondam reipub. tantique consulis irritando necem. Rapuisti tu M. Ciceroni lucem sollicitam, et ætatem senilem, et vitam miseriorem te principe, quam sub te triumuiro mortem: famam vero gloriamque factorum atque dictorum adeo non abstulisti, vt auxeris. Viuit, viuetque per omnem sæculorum memoriam: dumque hoc vel forte, vel prouidentia, vel vtcunque constitutum rerum naturæ corpus, quod ille pæne solus Romano-*

manorum animo vidit, ingenio complexus est, eloquentia illuminauit, manebit incolume; comitem aui sui laudem Ciceronis trahet, omnisque posteritas illius in te scripta mirabitur, tuum in eum factum execrabitur; citiusque in mundo genus hominum, quam huius nomen, cadet. Ciceronem hoc anno VII. Idus occisum esse, testimonio Tironis liberti scribit Tacitus in dialogo de Oratoribus C.; intelligo autem Idus Decembr. quoniam triumuiri inierunt V. Cal. Decembris, vt est in lapide Colotiano. Vixit igitur Cicero annos LXIII. menses XI. dies V. siue annos LXIV. minus XXVI. diebus.

Nunc ad extremum illud addam, quod Desiderius Lignamineus Patauinus ante annos sedecim diuulgauit. Cum anno Christi M. D. XLIV. Calend. Decembr. Angulus Apulus Minorita in Zacyntho insula Venetorum, quæ in mari Ionio Epiro adiacet, apud sacellum D. Mariæ Gratiosæ, non longe a littore maris, cœnobii fundamenta ageret; sepulchrum antiquissimum reperit cum hac inscriptione: M. TVLLI CICERO HAVE. ET TV ΤΕΡΤΙΑ ΑΝΤΩΝΙΑ. in eodem sepulchro inuentæ sunt duæ vrnæ vitreæ, vna maior cinerum, altera minor lacrimarum, vt volunt; in maioris fundo, erat vitro inscriptum: AVE MAR. TVL. Hoc monumentum ibi in sacrario templi adseruatur, et Ci-

Ciceronis nostri esse putatur. Verum in huiusmodi rebus mihi Epicharmi cantilenam illam μέμνασο ἀπιστεῖν ad aurem vtramque insusurrari facile patior * : cum præsertim in epitaphio quodam, quod in libro manuscripto ἀδέσποτον subiicitur, Arpinatem Ciceronem lapide extra Caietam seruari, inueniam; quem Lignamineus a seruis crematum, et in Zacynthum delatum fuisse putat.

Finis Historiæ M. T. Ciceron.

CICE-

* Bene Fabricius; cuius prudentiam confirmat Cl. Iac. Sponius in Itinerario, cuius hæc verba merentur adscribi. *Au dessus de la ville en allant à la forteresse, il y a une eglise appellée S. Helie, ou selon que quelques-uns ont écrit, on avoit trouvé le tombeau de Ciceron et de Tertia Antonia sa femme; mais je n'y remarquay autre chose, qu'un fond d'urne de porphyre, et je ne pus apprendre aucune nouvelle du reste.*

CHRISTOPHORI CELLARII
HISTORIA
EXPLICANDIS EPISTOLIS CICERONIS ACCOMMODATA

POST AVCTORIS MORTEM EDITA

A

IO. MICHAELE HEVSINGERO.

BVDINGAE,
Litteris Regelinianis M DCC XXVII.

HISTORIA
LIBRI I.

PLeræque ſcriptæ ſunt ad P. LENTVLVM, proconſulem Ciliciæ atque Cypri. Bello Mithridatico enim Tigranes, rex Armeniæ, Ciliciam et Syriam occupauerat: vnde Pompeius victor Mithridatem et Tigranem eiecit, et duas ibi prouincias conſulares conſtituit. Cum etiam P. Clodius, tribunus plebis, Cicerone in exſilium eiecto, Cyprum inſulam per vim et iniuriam Ptolemæo regi, fratri regis Aegypti, eripuiſſet: inſula illa Ciliciæ prouinciæ fuit contributa; cui etiam Piſidiæ, Lycaoniæ, Pamphyliæ, et quædam ex Phrygia partes acceſſerunt. Huic ergo tam amplæ prouinciæ præerat proconſul P. Lentulus, cum Cicero has ad illum epiſtolas ſcriberet. Sub idem tempus Ptolemæus Auletes, rex Aegypti, propter immodicas largitiones in Romanos, et amiſ-

amiſſam Cyprum, quam repetere a Romanis recuſabat, (Aegyptiorum enim fuerat) expulſus a ſuis, Romam confugerat, nouis largitionibus laborans, vt in regnum reſtitueretur. Diſcordes Romani erant, territis pluribus * religione oraculi Sibyllini, quo videbatur reductio regis Alexandrini cum exercitu prohiberi. Largiendo tamen effecerat, vt multi vellent regem reſtitutum: ſed quæſtio fuit, per quem ſit reducendus. Duæ prouinciæ Aegypto vicinæ erant: Syriaca, cui præerat Gabinius, Ciceronis inimicus, quo is conſule exſul factus erat; altera Cilicia, quam tum Lentulus regebat, Ciceronis amicus, cui vt honorem reducti regis conciliaret, his epiſtolis ſignificat, quantum laborauerit: Nihil autem profecit, quia rex Pompeii opera reductus fuit a Gabinio, præſide Syriæ.

Interea hic notamus, Ciliciam a tempore, quo vacuafacta fuit milite Mithridatis

* Vt quidem videri volebant. Alias autem diſſenſus cauſas fuiſſe, ſatis conſtat ex ipſo Cicerone; cuius vid. h. l. ep. 1. n. 2. ep. IV. n. 3. et ad priorem locum Manut. ad poſteriorem I. F. Gronouius.

datis et Tigranis, prouinciam Romanorum factam esse, in quam cum imperio proconsules mittebantur: quorum tres in his epistolis memorantur; Lentulus, ad quem epistolæ sunt libri I. Appius Pulcher, ad quem omnes sunt libri III. et ipse Cicero, Appii in prouincia successor. De Cypro adiecta huic prouinciæ; vide sis S. Rufum cap. XIII. vbi descriptum est, quando et quo titulo ab Romanis sit occupata; et Cicer. lib. I. ep. VII. n. 9.

HISTORIA
LIBRI II.

SEcundi libri epistolæ priores ad C. SCRIBONIVM CVRIONEM, Curionis, qui Dardanos vicerat, filium, Asiæ quæstorem, postea, cum Cicero in prouincia erat, tribunum pl. factum, Cæsarisq. partibus initio ciuilis belli studentem. Vide illum *de bello ciuil.* lib. II. cap. 42. vbi mors eius, quam in Africa pro Cæsare pugnans oppetiit, descripta est; adde lib. II. ep. I. n. 5. in notis. Posteriores epistolæ huius libri sunt

ad M. COELIVM illum, cuius eſt totus liber VIII. tum ædilem curulem, Ciceronis amicum, ſed ciuili bello Cæſareanas partes ſequentem; quo et Ciceronem voluit pertrahere, vt conſtat ex huius libri ep. XVI. et lib. VIII. ep. 16. Interſeruntur duæ; altera ad quæſtorem Syriæ, altera ad Aſiæ prætorem: quibus intelligendis vtriusque prouinciæ geographia neceſſaria eſt: etiam aliquid de Ariobarzane Cappadocum rege, et de proconſulatu Bibuli in Syria, qui in conſulatu Cæſaris collega fuerat.

HISTORIA

LIBRI III.

OMnes huius libri epiſtolæ ſcriptæ ſunt APPIO CLAVDIO PVLCHRO, qui ex conſulatu Ciliciam rexerat, proximus anteceſſor in prouincia Ciceronis. Hunc decedentem prouincia Cicero, illam ingrediens, conuenire voluit; ſed ille vitauit, quem promiſerat, congreſſum Ciceronis. Hinc querelæ in his epiſtolis: et Appius poſtmodum non minus queſtus eſt, quod Cicero actiones

nes

nes suas reprehenderit; id quod vero Cicero excusat. Caussa vero inter hos minus sinceræ beneuolentiæ, quamuis vellent amici videri, fuit iniuria a P. Clodio, huius Appii fratre, Ciceroni illata. A Publio enim illo expulsus fuerat in exsilium. Cicero tamen industria cauit, ne Appium Pulchrum, maximæ auctoritatis virum, aperte inimicum haberet; et ægre tulit, quod Dolabella, sub idem tempus Ciceronis gener factus, accusauerat Appium, cum ad vrbem esset triumphi caussa; quem vero, vrbem ingrediens diluendæ accusationis caussa, neglexit. Honorem tamen censoris eodem anno adeptus est. vid. extrema libri verba cum adnotatis nostris. Prouinciæ situm et statum, præsertim tres diœceses Asiaticas, ex huius libri ep. VIII. cognosces: cui interpretandæ opus est subsidio geographico.

HISTORIA

LIBRI IV.

PRiores epistolæ sunt ad SERVIUM SULPICIUM, et duæ eiusdem ad Ci-

Ciceronem. Fuerat hic Seruius socius studiorum Ciceronis, et Romae, et in Asia; dicendi facultate non impar Ciceroni, iuris ciuilis scientia etiam superior. Consulatum gessit cum M. Marcello, biennio ante ciuile bellum: quo cum mitior in Caesarem, quam collega Marcellus fuisset, meruit, vt victor Caesar eum Achaiae praeficeret. Vid. lib. VI. ep. VI. n. 20. Duae priores epistolae sub initium belli ciuilis scriptae: reliquae ad eundem, et huius ad Ciceronem, cum esset in prouincia.

Ceterae plures scriptae sunt ad M. MARCELLVM, virum consularem, qui post Pharsalicam cladem maluit in exsilio viuere, quam Caesari victori supplex fieri. Sedem autem exsilii elegit Asiae vrbes, studiis litterarum florentes, Rhodum et Mytilenas, vbi videbatur beatissime viuere; vt Seneca refert *ad Helu.* c. IX. Adde quae ad ep. VII. n. 9. notauimus. Restitutionem impetratam Cicero Sulpicio narrat ep. IV. caedem eius in reditu, Sulpicius Ciceroni ep. XII.

Vltimae epistolae sunt ad NIGIDIVM et PLANCIVM exsulantes. Nigidius quanto ingenio et doctrina fuerit, ex Gell.

Gell. lib. XIX. cap. 14. ad ep. XIII. n. 10. notauimus: De Plancio non certo constat, fueritne ille defensor Ciceronis exsulis, (lib. XIV. ep. I.) pro quo exstat oratio Ciceronis: quod verisimile quidem, tamen, si placet, in medio relinquemus.

HISTORIA

LIBRI V.

VArii argumenti hic liber est, vtpote ad varios et diuersos scriptus. Quatuor priores epistolae Metellorum historia indigeat, quae talis est. Cum Cicero consul esset, praetor fuit Q. METELLVS CELER, tribunus plebis frater eius METELLVS NEPOS, qui iniquior in Ciceronem erat propter coniuratos Catilinarios, indicta caussa condemnatos et interfectos. Vid. ep. II. n. 15. sq. Impediuit ergo Ciceronem consulatu decedentem, quo minus luculenta oratione finem imponeret suo consulatui. Quam ob iniuriam cum postea Cicero acerbius forsan de tribuno illo locutus est: fratrem eius Metellum Celerem, ex prae-

tura Galliæ Transalpinæ proconsulem, offendit; qui ea de re ad Ciceronem ep. I. conquestus est. Huic se Cicero ep. II. excusat; se fratrem eius non oppugnasse, sed oppugnanti restitisse. Post hæc reconciliatos fuisse, haud dubie fratris interuentu, ex ep. III. constat, qua Nepos beneuolentiæ Ciceronis conseruationem petit; et ex ep. IV. qua exsul Cicero Metelli huius Nepotis, tum consulis, opem implorat.

Quinta et sexta ep. de prouincia Macedonia agunt: illa ad PROCOS. eius C. ANTONIVM, Ciceronis in consulatu collegam scripta; hæc ad proquæstorem eius P. SEXTIVM. In priori pleraque ad Pomponium remittuntur; qui T. Pomponius Atticus est, ad quem epistolarum libri Ciceronis exstant: in altera res domesticæ adiunguntur de emtionibus. Septima res geminas gratulatione dignas respicit; POMPEII in bello Mithridatico gestas, Ciceronis in oppressione coniurationis Catilinariæ. Vtriusque argumentum præstant historiæ non vno auctore. Octaua ad Parthicam CRASSI expeditionem referenda, ob quam comitiis lacessitum Cicero tue-

tuebatur. Hiſtoria exſtat apud Vellei. lib. II. cap. 42. Flor. lib. III. cap. II. Eutrop. lib. VI. cap. 5. cui S. Rufus in exitu, in notis præſertim, adiungi poteſt.

Nona, decima et vndecima Vatinianam cauſſam continent. Antea acres inter Ciceronem et VATINIVM contentiones fuerunt: quæ locum dederunt prouerbio, *odium Vatinianum**: quod apud Catullum habemus carm. XIV. Poſtea reconciliatus eſt Cicero Pompeio et Cæſare ſuaſoribus: de qua re lib. I. ep. IX. n. 8. ſeqq. Bis Vatinius Dalmatiæ maritimæ fuit a Cæſare dictatore præ-

* *Odium Vatinianum* non a priuato Ciceronis, ſed a publico populi Rom. odio in Vatinium dictum eſt, quod illi Cicero conciliauit, quantumque fuerit, Macrob. *Saturn.* lib. II. cap. 6. exponit his verbis. *Lapidatus a populo Vatinius, cum gladiatorium munus ederet, obtinuerat, vt aediles edicerent: NE QVIS IN ARENAM NISI POMVM MISISSE VELLET. Forte iis diebus Caſcellius conſultus a quodam, an nux pinea pomum eſſet, reſpondit: SI IN VATINIVM MISSVRVS ES, POMVM EST.*

præfectus: in qua prouincia bellum gerens contra Dalmatas mediterraneos, et imperatoris nomen, et triumphum meruit. Cicero ipsi caussam suam commendat, vt fugitiuum seruum anagnosten in prouincia, quo fugerat, inuestiget. Cetera per se intelliguntur, aut ex commentariis nostris.

Sequuntur quatuor epistolæ, tres ad LVCCEIVM historicum, et vna eiusdem ad Ciceronem. Prima petit, vt exsilium suum et consulatum singulari libro historicus describat; quia res suas Lucceii ingenio inprimis illustrari percupiat, qui illius temporis elegantissimus historicus erat. Enimuero monumenta interierunt omnia. Ipse Cicero *ad Attic.* lib. IV. ep. VI. hanc XII. nostram vocat *valde bellam* epistolam; quia omni arte in ea vsus est, vt Lucceio persuadeat. Vsus autem est pluribus exemplis ex Græca historia: quæ partim ex Corn. Nepote illustrari poterunt; reliquorum interpretatio ex nostris adnotationibus petatur. Reliquæ huius classis epistolæ argumentum consolationis habent, publicis ex bello ciuili calamitatibus applicandæ.

Cu-

Cuius rationis eſt etiam epiſtola XVI. ad TITIVM: ſed quæ luctum ex obitu liberorum, non ex oppreſſione reipubl. leuet; alias perfectum exemplum conſolationis propter obitum neceſſariorum. Reliquæ ſunt quinque in hoc libro, itidem varii argumenti, et ad varios ſcriptæ, etiam conſolatoriæ XVIII. propter acceptam exſilii iniuriam, et vltima propter communes belli ciuilis calamitates, litterarum ſtudiis nonnihil releuandas. Ad quem modum etiam XVII. referenda eſt itidem ad SEXTIVM exſulantem perſcripta. XIX. et XX. ad eundem ſunt MESCINIVM RVFVM, Ciceronis in prouincia quæſtorem: poſterior ſubobſcura, quia nihil niſi rationes redituum prouincialium tenet; prior autem eſt clara ſatis, reſpondens ſub initium ciuilis belli, ſitne in Italia manendum, an proficiſcendum in caſtra Pompeii.

HI-

HISTORIA
LIBRI VI.

VTi hic liber etiam ad diuersos scriptos est; ita pleræque epistolæ continuationem continent earum calamitatum, quæ Pompeianis communes erant ex bello ciuili. Priores ad TORQVATVM et CAECINAM præ ceteris elegantiores sunt. Ad Torquatum quatuor, Athenis a pugna Pharsalica exsulantem: quem Cicero ita consolatur, vt singulis epistolis aliquid spei, quamuis modicum sit, meliorum temporum adferat; interea ad litterarum studium illum ablegat, quarum copiam habebat Athenis, in exsilii loco, vt etiam ex ep. III. apparet. Scriptæ omnes sunt nondum finito ciuili bello, cum Cæsar in Hispania esset, necdum vicisset filios Pompeii; vti apparet ex ep. IV. et ex decessione Sulpicii, qui etiam leuationi fuerat Torquato ex prouincia Achaica. Deinde quinque epistolis caussa A. Cæcinæ sequitur, clari Etrusci hominis, et cum Cicerone coniunctissimi a pueritia; vti ex ep. IX. constat. Is Pompeio studens, con-

contra Cæsarem sub initium ciuilis belli acerbius scripserat; quem *librum criminosissimum* Suetonius *Cæs.* cap. LXXV. appellat: ideoque Pompeio victo exsul fugiebat ita Cæsarem, vt optaret in gratiam recipi, et restitui in patriam. Eum itaque Cicero consolatur, præter communia argumenta Cæsaris vsus lenitate et amore eruditorum; vnde speret exsilium non fore diuturnum: et in primis epistolis ex signis argumentatur; quæ sicut scilicet ante ciuile bellum non fefellissent, ita et nunc sperare, non incerta fore, quæ de Cæcinæ restitutione præsentiat. Signorum occasione de initiis ciuilis belli accurate perscripsit.

Quæ sequuntur epistolæ, pleræque scriptæ sunt post Africanum bellum: vt tres ad TREBIANVM, X. et XI. consolatoriæ, quod et is Pompeianas partes post Pharsalicam cladem, in Africa quoque, secutus fuerat, ideoque victus exsulabat; XII. autem gratulatoria, quia reditum per Dolabellam, generum suum, Cæsaris amicum, impetrauerat. cuius argumenti etiam est XIII. ad AMPIVM BALBVM, cui itidem reditum per amicos Cæsaris impetrauerat.

Se-

Sequuntur duæ ad LIGARIVM consolatoriæ. Is vero initio ciuilis belli in Africa a proconsule relictus, prouinciam noluit iis tradere, quos Cæsar ad occupandam miserat; et deinceps etiam in partibus Pompeianis manserat: quæ historia clarius perscripta est in oratione Ciceronis pro hoc ipso Ligario. Fratres vero eius a partibus Cæsaris steterant, nec postea desistebant cum Cicerone pro fratre exsule (Quinto scilicet) deprecari.

Ad LEPTAM duæ: circa Hispaniense bellum altera scripta, altera post illud dissuasoria. Prior morem præconii declarat, cum quæstione, an decuriones (municipiorum senatores) possint præconium facere; sub finem, de Leptæ filii studiis, elegantem sententiam commendat: posterior de ludis a Cæsare regionatim editis post victoriam, vt antiquo ritu, nos instruit; et de Ciceronis villa ad ostium Asturæ.

Tres supersunt epistolæ, duæ ad TORANIVM, vltimo Cæsaris tempore post victoriam Hispaniensem scriptæ: prior dissuasionem habet cum consolatione; posterior consolationem a recte fa-

factis et honestis consiliis desumtam. Vltima, ad DOMITIVM scripta ante Africanum bellum, laudat, quod idem ac Cicero senserit, discesseritque a bello post cladem in Thessalia: hortatur, vt rebus suis consulat, et se saluum suis conseruet: pollicetur, quantum potest, qui in eadem fortuna est. Historiam de hoc Domitio notauimus ad epistolæ h. l. penult. n. 2.

HISTORIA
LIBRI VII.

SEptimi libri priores epistolæ ad M. MARIVM scriptæ sunt ante ciuile bellum: quarum prima antiquitatem ludorum continet, quibus Roma deditissima erat. Fuerunt autem varia genera: circenses, gladiatorii, scenici siue theatrales, venationes; quibus etiam naumachiæ sub Cæsaribus accesserunt. Hoc loco potissimum scenici intelliguntur, qui vel Græci erant, vel Osci, vel Latini; vti sect. x. distinguuntur. Osci autem erant proteruiores, ab Oscis antiquo Italiæ populo appellati. Venationes

fuerunt additæ, vti ex ſect. XII. conſtat. Sed optimum in hac epiſtola eſt, quod vanitatem ludorum Cicero contemnit: qua cum conferri poteſt Plin. lib. IX. ep. VI. Altera habet aliquid de damnatione Burſæ: de quo quantum haberi poteſt, in notis attulimus. Optima omnium autem eſt tertia: qua vt excuſet Cicero ſuum a bello poſt Pharſalicam cladem diſceſſum, omnem hiſtoriam illius ciuilis belli vsque ad Africanum, quo tempore ſcripta eſt epiſtola, clariſſime enarrat; vt, qui hanc cum lib. VI. ep. VI. contulerit, ei nihil poſſit deeſſe, quod ad ciuilis eius belli notitiam pertineat.

A v. epiſtola vsque ad XXII. cauſſa TREBATII TESTAE agitur. Is Trebatius iuriſconſultus fuit, commendatus a Cicerone CAESARI, Galliarum proconſuli: apud quem etiam iuriſconſulti partes egit, in foro prouinciali. Nam Romani, vbi prouinciam fecerant, ius quoque et leges Rom. introducebant: ad quarum exercitationem opus erat iuriſconſultis et oratoribus, ſiue aduocatis; vt oſtendimus etiam ad lib. I. ep. X. et fori talis in prouincia mentio eſt lib. III. ep. VI. ſect. 8. Quid? quod etiam in ſacris eius rei non ob-

obſcura mentio eſt, Actor. XIX. 38. et XXIV. I. ſeqq. Immiſcentur etiam alia, quae ad hiſtorias pertinent: vt de *eſſedis* et *eſſedariis* Britannorum, ep. VI. et X. quae ex Caeſ. B. G. lib. IV. cap. 25. intelligi poſſunt; et de Britanniae, quantum cognita illo tempore erat, ſterilitate, ep. VII. Trebatius cum Caeſare fuit in Belgica Gallia, cum caſtra apud Samarobriuam haberet, id eſt *Ambianum* Picardiae, ep. XI. et XVI. in Britanniam autem cum illo transgreſſus non fuit, neque praeliis interfuit; quod vtrumque per iocum familiarem aliquoties agitat, ſicut plures huius generis litterae propter intimam familiaritatem ſunt iocoſae. Id argumentum perductum eſt ad epiſtolam vsque XIX. quae cum ſequente ſunt alius temporis, ſcriptae ſcilicet poſt necem Iulii Caeſaris, cum Cicero, turbationes Antonii vt effugeret, voluit ſecedere in Graeciam, reiectus autem tempeſtate fuit in Italiam, vt ipſe Philipp. I, exordio expoſuit. In illo ittinere ſunt poſteriores epiſtolae ſcriptae.

Neque his abſoluuntur, quae vtilia in epiſtolis ad Trebatium ſunt: ſed praeterea multae formulae. in quibus et illa eſt,

 Io-

Iouem lapidem iurare, ep. XII. aliique ritus et antiquitates: vt de *Treuiris capitalibus* et *monetalibus*, ep. XIII. occasionem præbente; et de *interregnis* ep. XI. et de aliis rebus, quæ passim in nostris notis explicantur.

Vltima pars libri epistolas continet ad FABIVM GALLVM CVRIVM, et P. VOLVMNIVM. Prima ad Fabium, quæ XXIII. est, de signis et statuis, quibus cum domos suas, tum bibliothecas ornabant, agit; vt ita antiquitatibus aliquid adferat: XXIV. de Tigellio Cipioque, de quibus in ea satis declaratum in notis nostris est; quæ etiam antiquas formulas XXV. interpretantur. Qui in XXV. et XXVII. GALLVS simpliciter nominatur, sitne idem, qui Fabius Gallus, ad quem superiores sunt epistolæ, dubitatur. Interim ex XXVI. notes antiquitatem de lege sumtuaria et cœna augurali. Quæ inde ad Curium sunt, qui oppressa republ. se in Græciam contulerat, commune argumentum calamitatis publicæ continent, scriptæ sub bellum Hispaniense; et XXX. antiquitatem comitiorum consularium et tributorum. Vltimæ duæ ad Volumnium sunt, cui EVTRAPELI cogno-

gnomen erat, impari tempore ſcriptæ: prior ante ciuile bellum; poſterior vltimis temporibus Cæſaris, poſt fractas res Pompeianorum, quando republ. perdita ſe totum in litteras Cicero abdebat.

HISTORIA

LIBRI VIII.

NIhil in hoc libro Ciceronis eſt; ſed omnes epiſtolæ M. COELII ad Ciceronem. Is Cœlius amicus Ciceronis, et in arte oratoria diſcipulus fuit; quamuis ſuauitatem ſtili Ciceroniani non aſſecutus eſt. Nihilominus inter claros oratores refertur, non tantum a Cicerone in *Bruto* ſiue *de claris oratoribus*, cap. LXXIX. verum etiam ab auctore dialogi *de oratoribus* ſeu *de cauſſis corr. eloqu.* cap. XVII. XXI. et XXV. qui medio loco (cap. XXI.) de ſtilo eius ita iudicat. *Quid ex Cœlianis orationibus? nempe hæ placent; ſi non vniuerſæ, at partes earum, in quibus nitorem et altitudinem horum temporum agnoſcimus. Sordes autem verborum, et hians compoſitio, et inconditi ſenſus, referunt antiquitatem.* Non eſt ergo,

quod mireris, huius libri epiſtolas multas habere antiquitatis formulas, multa prouerbia, et alia, quibus de induſtria ſe Cicero abſtinuerat: quæ, niſi commentariis adiutus, aut aliunde gnarus antiquitatum, non facile intelliget. Ad hiſtoriam quod attinet, ſcriptæ ſunt epiſtolæ pleræque ante ciuile bellum, eo anno, quo Cicero proconſul Ciliciam prouinciam regebat: quo tempore M. Cœlius primum candidatus ædilitatis erat, et adeptus honores ſplendidiſſimos ludos edidit, quibus apparandis Ciceronem ſollicitat de pantheris in prouincia ſibi capiendis, ep. II. VI. IX. et alibi.

Per idem tempus Parthi, offenſi inuaſione Craſſi, Syriam infeſtabant traiecto Euphrate. Huic quod proxima erat Cilicia, Ciceronis prouincia, etiam huic aliquid mali metuebatur a Parthis: et iam rumor erat approperaſſe, ep. V. et VI. Sed illi non Parthi fuerunt, verum prædones Amani montis, quos vicit et perdomuit Cicero. Vid. lib. XV. ep. IV.

Orto ciuili bello, Cœlius ad Cæſaris partes ſe conferebat, ſuaſitque Ciceroni, vt idem faceret: de qua re exſtant ep. XVI. et XVII. ſed mutauit tandem conſili-

ſilium. Cæſare enim in Græciam profecto, Cœlium Romæ prætorem peregrinum reliquit, Trebonium vrbanum prætorem. Cœlius ægre ferens ſibi Trebonium prælatum eſſe, turbas concitauit: ſed cohibitus a conſule Seruilio, ad Milonem exſulem ſe contulit, inſtructum gladiatoribus, aliisque ad pugnam paratum. Qui dum in Italia vagabantur, vterque oppreſſus eſt: de qua re ipſe Cæſ. B. C. lib. III. cap. 20. ſeqq. Initia huius tumultus habes in epiſtola h. l. vltima. Sed ad priores reuertimur, ſcriptas Cicerone proconſule: in quibus quod publicæ erat cauſſæ, partim diximus; partim, quæ ad initia ciuilis belli pertinent, excerpi volumus ex ep. XIV.

Priuatæ cauſſæ ſunt de Tulliæ, Ciceronis filiæ, nuptiis cum Dolabella, ep. XIII. et Dolabellæ temeritate aduerſus Appium Pulchrum, quem accuſauerat: item de Dolabella XV. viro, i. e. collega eorum, quibus ſolis licebat Sibyllinos libros inſpicere: de ſupplicationibus Ciceroni decretis ep. XI. de Appii cenſura, quam exagitat ep. XIV. ſub finem, et de aliorum accuſationibus.

Antiquitates in hoc libro et formulæ

solemnes bene multæ occurrunt: ritus *prosequendi extra vrbem* eos, qui in prouinciam mittebantur, ep. I. sub init. in notis; otium *subrostranorum*, ead. ep. n. 9. *theatrum Curionis* ep. II. *ludi venationum*, ibid. et VI. *ludi Romani*, ep. VIII. *paludatum exire*, ep. X. n. 5. *lex viaria*, ep. VI. n. 13. et formulæ, *descendere* in campum, ep. IV. n. 2. *expensum ferre* ibid. n. 9. *ad vrbem esse*, ibid. n. 10. *auctoritates perscriptæ*, ep. VIII. n. 12. *scribendo adesse*, ibid. *lomentum aut nitrum esse*, ep. XXIV. n. 10. *psecade natus*, ep. XV. n. 8. *munusculum alicui deferre* (in malam partem) ep. VIII. n. 3. et XII. n. 2.

HISTORIA

LIBRI IX.

TRes sunt, ad quos epistolæ huius libri sunt directæ, M. TERENTIVS VARRO, CORN. DOLABELLA, et PAPIRIVS PAETVS. Prima classis habet VIII. epistolas, omnes ciuili bello scriptas, et quidem illo ferme tempore, quo Cæsar contra reliquias Pompeianas in Africa pugnauit. Vid. Eutrop. lib. VI.

cap.

cap. I. Varro (de quo vide in Eutropio) autem hic fuerat Pompeii legatus in Hispania vlteriore: et cum Cæsar exercitum eius alienauerat, ad eundem Pompeium in Græciam refugit; sed post cladem Pharsalicam perinde vt Cicero belli finem fecit. Hic etiam ille est, quem omnium doctissimum Romanorum scriptores laudant, qui etiam plurima omnium scripsit: de cuius summa doctrina aliquid ad lib. IV. ep. XIII. n. 10. p. 184. ex Gellio notauimus. Annis vitæ *sæculum æquasse*, et sub Augusto Cæsare adhuc vixisse scripsisseque, auctor est Valer. Max. lib. VIII. cap. 7. Amicitia Ciceronis cum hoc Varrone ex his epistolis apparet; vnde in I. et aliis epistolis ipsius aduentum exspectat in societatem studiorum. VIII. mittit promissos libros *Academicarum quæstionum*, Varroni dedicatos.

Altera pars huius libri habet epistolas, quæ ad DOLABELLAM pertinent, Ciceronis generum. IX. ipsius Dolabellæ, qua socero suadet, vt se vel cum Cæsare coniungat, vel in otium Athenas, aut quamuis aliam quietam ciuitatem recipiat. Scripta enim est ante Pharsalicum prælium,

lium, cum ad Dyrrachium Pompeius castra haberet. Dolabella autem a principio belli fuit partium Cæſareanarum. Reliquæ v. ſunt Ciceronis ad Dolabellam. x. priuatæ rei et minus nobilis: xi. clara et illuſtris, quia mortem Tulliolæ nuntiat Dolabellæ, antea marito eius, tempore Hiſpanienſis belli: xii. et xiii. itidem ſub tempus belli Hiſpanienſis ſcriptæ ſunt, quod prior oratiunculæ pro Deiotaro meminit, habitæ poſt reditum Cæſaris ex Hiſpania; altera initium Hiſpanienſis a Scapula commoti oſtendit, quæ notis noſtris clarius exponuntur ſect. ii. Omnium autem elegantiſſima eſt xiv. ſcripta poſt necem Cæſaris; quia ſtatum illius temporis et hiſtoriam planiſſime exponit; digna vtique, vt ab omnibus legatur.

Vltima pars libri habet epiſtolas minus nobiles ad PAPIRIVM PAETVM, omnes ſcriptas, virum eruditum, alias ex hiſtoria minus notum. Diſputat Cicero ex philoſophia et philologia, quæ doctrinam Pæti et ingenium produnt: interdum etiam iocatur. Optima in illis eſt ep. xviii. quæ cauſſas exponit, cur Cicero

cero

cero ludum eloquentiæ aperuerit, aliosque declamando exerceret.

HISTORIA
LIBRI X.

PRior et maior pars epiſtolas XXIV. continet, a Cicerone ad PLANCVM, Galliæ Transalpinæ præſidem ſcriptas, vel a Planco ad Ciceronem. Omnes ſcriptæ poſt mortem Iul. Cæſaris, pleræque poſt prælium Mutinenſe, vsque ad initium triumuiratus: vt ita in illis vera ſupplementa belli Mutinenſis, ſiue de reliquiis eius belli, quæ deſunt in hiſtoriis, habeamus. I. et II. de Antonii dominatu queruntur, antequam is hoſtis bello Mutinenſi appellaretur. Poſteriores agunt de ſtatu turbatiſſimo, cum Antonius, ad Mutinam victus, fuga ſe reciperet in Gallias. Vbique ergo Cicero id agit, et maximis gloriæ præmiis propoſitis adhortatur, vt reliquias belli Antoniani conficiat et opprimat Antonium, antequam is cum Lepido ſe coniungeret, qui tum copias circa Narbonem tenebat, Hiſpaniæ præſes deſtinatus: quam vero, ex-

exspectans euentum turbarum, non intrauit. Vid. not. ad h. l. ep. XXIV. n. 12.

Nec tantum historiis hae epistolae aliquid lucis adferunt; sed ipsi quoque geographiae de itinere Antonii, praesertim si D. Bruti tres epistolas, ex lib. XI. ep. IX. X. XI. ad iunxerimus; quae eiusdem argumenti sunt, cum hisce libri X. In ipso autem X. multa sunt, quae ad Galliae prouinciam explicandam pertinent: v. g. ep. XVIII. XXI. et aliis. Nihil autem Cicero his epistolis diligentissime scriptis profecit, cum Plancus, homo dubiae fidei, nihilominus cum Lepido se coniunxerit, et Antonius ab illis susceptus defensusque fuerit: de qua re Vell. Pat. lib. II. cap. 63. et 64. consulatur.

Altera pars libri variorum epistolas continet, Ciceronis, GALBAE, ASINII, LEPIDI: sed omnium argumentum, vna excepta XXIX. quae consolationem habet, est de bello Mutinensi eiusque reliquiis. XXV. et seq. FVRNIO, Planci legato, Cicero festinationem praeturae dissuadet; quae gloriosius impetretur ipsius Planci in consulatu, vt a consule et duce suo commendetur. XXVII. Lepidum hortatur, ne cum Antonio pacem

cem faciat. XXVIII. queritur de Antonii importunitate, quae faciat, vt nece Caesaris respubl. liberata minus sit; et exprobrat quasi, quod Antonium non vna cum Caesare interfecerit. XXX. narrat GALBA praelium Mutinense Ciceroni. Sequuntur tres ASINII POLLIONIS, vlterioris Hispaniae praefecti, eodem tempore scriptae; quibus de Lepido agit, et calamitatem praelio Mutinensi acceptam deplorat. Media de quaestoris sui Balbi vitiis conqueritur. Duae postremae sunt ipsius LEPIDI ad Ciceronem: prior quaedam geographica continet; posterior friuolam excusationem, cur Antonium fugitiuum exceperit.

HISTORIA

LIBRI XI.

HIc liber eiusdem fere argumenti est, cuius fuerat superior: nempe intra Mutinensis belli tempora, h. e. intra Caesaris necem et triumuiratum scriptae sunt pleraeque eius epistolae, aut potius omnes; si duas tantum dubii temporis, XVI. et XVII. exceperis. Plurimae etiam, scil.

fcil. XXIV. ad D. BRVTVM, aut ab hoc Bruto ad Ciceronem, funt fcriptæ. Erat is ex percufforibus Cæfaris, et inter principes illorum; cui poftea fenatus, vt tutus effet ab impetu Antonii, veteranorum et plebis, prouinciam Galliæ citerioris, f. Cifalpinæ, quæ Italiæ pars erat, confirmauit. Quo profectus fedem Mutinæ fixit, ad regendam inde prouinciam. Antonius COS. inuidebat ei hanc fortunam, fibi prouinciam illam percommodam fore iudicans, fi occupaffet; vt propinquus vrbi effet, et cæptam a Cæfare libertatis oppreffionem, quia confulatus ad finem vergebat, continuaret. Hunc itaque Brutum vt deturbaret, obfedit Mutinam. Tentauit fenatus per legatos Antonium a propofito reuocare, ep. VIII. fed fruftra. Ortum ergò bellum eft, Cicerone fuafore *Philippicis* orationibus; Antonius hoftis iudicatus, et contra eum miffi cum exercitu funt ambo confules, Panfa et Hirtius: qui prælio vicerunt Antonium, et in fugam verterunt; fed Hirtius in acie, Panfa paucis poft diebus ex vulnere occubuit. D. Brutus perfecutus Antonium fugientem vfque in Alpes, adfequi illum non po-

poterat, nec prohibere, ne is in Gallia cum Lepido et Planco se coniungeret. De qua coniunctione in historia libri superioris actum fuit. In hoc ergo argumento versantur minimum XXII. epistolæ. II. et III. sunt M. BRVTI et CASSII ad Antonium scriptæ, antequam is de consulatu decederet post necem Iul. Cæsaris.

Ceterum D. Bruti epistolas, aut Ciceronis ad eundem ita distribuimus, vt omnes quidem post mortem Cæsaris conscriptas dicamus: sed quasdam ante Mutinense bellum, vt I. quæ præcipua est, item II. et III. quasdam sub initium illius belli, vt VI. et V. in qua mentio fit III. et IV. *orationis Philippicæ*, et VIII. quæ de legatis ad Antonium missis agit. Sunt quoque, quæ feruente bello scriptæ sunt; vt XIV. de ipsa pugna et victoria, IX. et XVIII. de amissis consulibus. Ceteræ reliquias belli continent; fugam Antonii XIII. quæ etiam geographica est; persecutionem Decimi IV. ad quod argumentum etiam Ciceronianæ referendæ VI. XII. XXI. et Brutinæ X. XI. XIII. XX. XXIII. XXVI.

Deinde duæ ſunt, prior ad MATIVM, XXVII. poſterior Matii ad Ciceronem XXVIII. quibus occaſione ſuſpicionis, quaſi Matium Cicero reprehenderit, vniuerſa præparatio ciuilis belli et arcana quædam aliunde ignota proponuntur. Vltima XXIX. Cicero ſe ſuaque APPIO commendat, euaſurus ex Antonii dominatione in Græciam.

HISTORIA

LIBRI XII.

DEcem priores epiſtolæ Ciceronis ſunt ad CASSIVM, qui e primis percuſſoribus Cæſaris fuit, tunc propter Antonii et veteranorum furorem in Aſiam profectus, quam Trebonius regendam occupauerat, inde cum in Syriam tenderet, ſibi deſtinatam prouinciam; vtpote quam inde a Craſſiana clade quæſtor pro conſule vſque ad ciuile bellum rexerat: in itinere perſecutus eſt Dolabellam, Trebonii oppreſſorem, qui ex Aſia in Ciliciam elapſus erat, poſtea in Syria viciſſim oppreſſus. De his temporibus et hoc argumento agunt x.

pri-

primae Ciceronis epistolae, et quae sequuntur tres ipsius Cassii ad Ciceronem; nisi quod XIII. alius Cassii est, quam duae superiores, Cassii nempe quaestoris Trebonii in Asia, non C. Cassii proconsulis Syriae. Distinctius haec sunt proponenda. Ep. I. Dolabellam laudat ob euersam Caesaris columnam: Antonii autem dominationem detestatur; qui cum Dolabellam in Syriam mitteret, iam Cassio a senatu decretam, hic Dolabella in Asia Trebonium proconsulem eius prouinciae interfecit. Quo audito, vltionem senatus Cassio, et bellum contra Dolabellam mandauit. Vid. cum not. n. ep. IV. n. 4. ep. VII. n. 6. ep. XII. n. 9. et II. ep. XV. n. 9. De Lepido ob perfidiam hoste iudicato agunt ep. VIII. IX. et X. Ep. XIV. et XV. Lentuli proquaestoris Asiae sunt, qui itidem Dolabellam, Trebonii interfectorem, classe persecutus est. Dolabella autem in Syria victus a Cassio, et Laodiceae obsessus, eo tandem adactus est, vt vitae suae vim inferret. XVI. TREBONII est ad Ciceronem de studiis filii Ciceronis, quem in itinere Athenis conuenit optimis studiis deditum: iter autem Trebonius habebat in

prouinciam Asiam, vt eam regeret, in qua paullo post interfectus fuit a Dolabella.

Sequentes omnes epistolæ ad CORNIFICIVM datæ sunt, Africæ tum præsidem. XVII. agit de Syriaco Cæcilii Bassi tumultu: cuius prouinciæ vt opprimeret turbas, Cæsar Cornificium destinauerat; vti ex ep. XIX. n. 2. apparet. Sed cum aliis forte rebus, tum maxime Cæsaris interitu, negotium fuit impeditum. Vid. not. ad ep. XVII. n. 2. XXII. post mortem Cæsaris scripta est, quæ laudat τυραννοκτόνας. XXIV. sub initium Mutinensis belli, quia meminit legatorum ad Antonium. Vltima habet de statu prouinciæ Africæ, quam multi Mutinensis belli tempore ad fectabant, antequam ex ea decederet Cornificius. Reliquæ agunt de rebus privatis.

Superest vt moneamus, in hoc libro egregie esse, quæ ad geographiam pertinent: *Regium Lepidi, Claternam, Parmam*, ep. V. *Forum Cornelii*, ibidem; *Taricheam* Palæstinæ, ep. XI. *Corycum* Ciliciæ et Lyciæ, ep. XIII. n. 8. *Crommyu acridem* promontorium, et *Paltum*

Sy-

Syriæ, ep. XIII. n. II. *Sidam*, *Antiocheam*, *Laodiceam*, *Pergam*, ep. XV.

HISTORIA
LIBRI XIII.

NVmerosus hic liber est, si epistolas computes, quæ LXXIX. sunt, omnes fere commendaticiæ, vix tribus aut quatuor exceptis. Quod plurimarum materia in rebus priuatis est, historiæ, quam pro numero epistolarum, pauciores breuioresque occurrunt. Tamen et obseruantur historiæ satis illustres: quales sunt *obsidio Volaterranorum* Syllana, ep. IV. quæ etiam *pro Roscio Amer*: cap. VII. occurrit; *lex agraria* Iulii Cæsaris ad ornandos veteranos milites lata; ibid. et ep. V. VII. et VIII. de *publicanorum societate* ep. IX. quod argumentum etiam Cicero *pro leg. Man.* tractauit. Bellum Alexandrinum et Hispaniense memoratur XVI. belli ciuilis quædam singularia, cum sub initium ad Dyrrachium illud gereretur, occurrunt ep. XXIX. Multa quoque in his sunt geographica: vt Pomp. Attici possessiones Epiroticæ; de Siciliæ vrbibus ep. XXXII.

et XXXVII. de Asiæ, Cypri, Hellesponti, Cariæ vrbibus agit ep. XLIII. XLVIII. LIII. et LVI. Pleræque scriptæ sunt ciuili bello et post victoriam Cæsaris. Scriptæ ad varios: in quibus illustriores sunt M. BRVTVS, Cisalpinæ Galliæ præfectus, ad quem X. seqq. IVL. CAESAR, ad quem XVI. SER. SVLPICIVS, ad quem XVII. et seqq. plures; THERMVS, proprpræt. Asiæ, LIII. seqq. SILIVS, propræt. Bithyniæ, LXI. seqq. SERVILIVS, Isaurici F. LXVI. seqq.

HISTORIA
LIBRI XIV.

Totus liber scriptus est TERENTIAE vxori Ciceronis, sed diuersis temporibus. IV. priores exsilii tempore, et in exsilio scriptæ, dolenter et impatientius fere, quam virum decebat. Fregerat enim animum eius indignitatis magnitudo. V. scripta est in reditu ex prouincia, cum Athenas venisset; atque sic proxime ante ciuile bellum. Ipso ciuili ardente bello XIV. et XVI. sed hæ sub initium, cum fugeret Roma Pompeius, nec dum Cæsar vrbem intrauerat, Rubiconem tantum pro-

prouinciæ suæ terminum transgressus. Tempore Pharsalici belli (i. e. sequenti anno) videntur scriptæ VII. VIII. IX. X. sed tantum priuatas res continent, Ciceronis, Terentiæ, Dolabellæ valetudinem, cum ritu post recuperatam valetudinem diis medicinæ præsidibus sacrificandi: in specie ep. VII. quæ maiori parte medica est. Post prælium Pharsalicum Cicero Brundisii Cæsarem exspectabat, vbi filia patrem conuenit, ep. XI. et XII. sed eadem ibi in grauem morbum incidit, ep. XIX. Quod vero non certus erat de Cæsaris mente, antequam litteras ab eo acciperet, (ep. XXIV.) quas tandem ex Aegypto accepisse se nuntiat ep. XXIII. interea permisit vxori de diuortio faciendo, vt dotem suam seruaret, ep. XIII. et deliberat, an filium Cæsari obuiam mittat deprecandi caussa, ep. XI. quod consilium mutauit, ep. XV. Si quæ alia sunt, ex his intelligentur.

HISTORIA

LIBRI XV.

IN quatuor classes hic liber dispesci potest. Prima VI. epistolarum ad prouinciam Ciceronis pertinet, vnde VI. priores

epistolæ scriptæ sunt: duæ ad senatum; tertia ad CATONEM de rumore belli Parthici, quod eo anno metuebatur; IV. itidem adCatonem perlongam narrationem habet prouincialis expeditionis, præsertim eius, quæ in monte Amano fuit contra Eleutherocilicas: cui Cato V. respondet, et triumphum dissuadet: VI. autem Cicero Catoni modeste respondet, eiusque gratulatione lætatur.

Secunda classis huius libri habet epistolas ad MARCELLOS gratulatorias ob consulatus honorem C. Marcelli: cui, et eius patri, et fratri patrueli Marco, gratulatur, et nouis coss. gratias agit, supplicationibus ornatus, et existimationem suam iis commendat. Scriptæ etiam hæ sunt ex prouincia: VII. VIII. IX. X. XI. ad Marcellos, patrem, filium, patruelem; XII. et XIII. ad alterum cos. AEMILIVM PAVLLVM.

Classis tertia continet epistolas ad C. CASSIVM datas: XIV. cum is ex Syria, cui pro quæstore præfuerat, et vbi maximas res gesserat, iam eodem anno, quo Cicero in prouinciam ierat, in itinere esset, vt Romam rediret. Ceteræ medio ciuili bello scriptæ: XV. post prælium Pharsalicum, morante adhucCæsare in Aegypto etAsia;

XVI.

XVI. eodem tempore, in qua iocatur in Caſſium, qui Epicureæ ſectæ addictus erat; XVII. et XVIII. tempore belli Hiſpanienſis. Tandem XIX. Caſſius Ciceroni philoſophice reſpondet, eiusdem Hiſpanienſis belli tempore.

At quarta claſſis, ad TREBONIVM, duas poſtremas habet, ſcriptas poſt necem Cæſaris, cum ipſe Trebonius in Aſiam, quam regeret, ſenatus decreto profectus eſſet. Vltima etiam adnarrat de Calui oratoris morte, de cuius ingenio iudicium ſuum perſcribit.

HISTORIA
LIBRI XVI.

VLtimus liber ad TIRONEM eſt, Ciceronis ſeruum, poſt libertum, eruditiſſimum: qui cum ex prouincia cum hero rediret, Patris in morbum incidit; quem diſcedens inde Cicero Lyſoni hoſpiti, M. Curio amico, et Aſclaponi medico commendauit, ſperans futurum, vt ille reſtitutus in vrbe Leucade (quæ hodie *S. Maura* eſt) ſe conſequatur. Verum pertinacior fuit morbus, nec prius deſeruit Tironem, quam ille Romam ad ſuos acceſſerat. Cum vero ægre Cicero abſentiam eius propter

ſtudia ferret: crebras epiſtolas ex itinere per ſingulas fere ſtationes miſit; quibus cohortatur, vt nihil prætermittat ad curandam valetudinem. Tales ſunt I. II. usque VII. ſingulæ diuerſis locis in Græcia ſcriptæ; vt ſic oram maritimam Græciæ et Epiri ex his epiſtolis cognoſcere poſſimus. IX. repetit totius itineris narrationem, cum iam in Italiam Brundiſium delatus eſſet. XI. aduentum ſuum ad vrbem, et triſtem reipubl. ſtatum ſignificat. Plures ſunt de tuenda aut recuperanda valetudine, XIII. XIV. XV. XX. XXII. Ep. XVII. monet de genuino vſu aduerbii *fideliter*. XVIII. ritum docet, quo libertis patronorum nomina hærebant. XXIII. alium ritum conficiendæ per ſeruos aut libertos profeſſionis deſcribit.

Reliquæ epiſtolæ ſunt itidem ad Tironem, ſed ab aliis. VIII. a Q. CICERONE, Marci fratre, etiam XXVI. et XXVII. Duæ, XXI. et XXV. ſunt CICERONIS FIL. ad eundem Tironem: priore ſtudia ſua, quæ Athenis tractabat, ipſe enarrat. Vnica eſt totius libri XVI. non ad Tironem, ſed de Tirone a Q. Cicerone ad Marcum fratrem ſcripta, qua de manumiſſione Tironis gratulatur.

F I N I S.

IN-

INDEX I.
SCRIPTORVM A FABRICIO EMENDATORVM AVT ILLVSTRATORVM.

INDEX II.

LIBRORVM, ORATIONVM ET EPISTOLARVM CICERONIS,

QVO SINGVLA SCRIPTA SINT TEMPORE COMMONSTRANS.

LIBRI RHETORICI.

ORATIONES.

Agra-

EPISTOLAE
AD DIVERSOS.

LI-

Epist.

AD ATTICVM.

LIBRI

LIBRI

AD Q. FRATREM.

AD

AD M. BRVTVM.

LIBRI PHILOSOPHICI.

ORATIONES
QVAE NON EXSTANT.

LIBRI DEPERDITI.

III. INDEX
RERVM ET VERBORVM.

A.

C. Cæci-

C.

Cen-

Con-

G. Ga-

G.

Gracchus

Iu-

Cn. Cor-

Fru-

gu-

Præ-

T.

Tem-

Ver-

Corrigenda.

Pag. 4. lin. 10. leg. *suum.* p. 8. l. 10. *Lusius.* p. 10. l. 3. *pro consule.* p. 12. l. 6. *procoss.* p. 15. l. 10. ab imo *ep. 8. lib. II. Attic.* p. 17. l. 5. *Ptolemæum.* p. 19. l. 1. *Legitur. L. Domitius.* p. 21. l. 5. ab imo *naturæ.* p. 22. l. 15. seq. *mucheretur.* p. 23. l. 14. *quæstio.* p. 27. l. 17. *cos.* p. 28. l. 10. *docebat.* p. 31. l. 7. *lib. LX. c. 2.* ibid. l. 13. ab imo *lib. XXXVIII. cap. 3. seq. et Athenæus.* p. 35. l. 19. *lib. II. c. 2.* p. 44. l. 5. ab imo *proscribi.* p. 48. l. 14. *tertium.* p. 50. l. 14. *in Bruto d. c.* ibid. l. 18. *Academiæ.* p. 53. l. 12. *μάλιςα.* p. 57. l. 6. ab imo *cognoscitur, Cicero.* p. 59. l. 3. *post hunc.* p. 60. l. 2. *urbana.* p. 62. l. 3. *Puteolos forte venisset.* p. 64. l. 10. *fuisti?* p. 65. l. 6. ab imo *Anno urbis DCLXXXII.* p. 73. l. 28. *Halicarnasseus.* p. 75. l. 3. *Tigranocertam.* p. 78. l. 21. *Valerianæ.* p. 82. l. 8. *prætor.* p. 84. l. 2. *consulares.* p. 88. l. 12. *Archia.* p. 97. l. 2. *ornatam, quam cum Antonio.* p. 99. l. 2. *Autronii.* p. 102. l. 5. *venerant.* p. 103. l. 9. *ep. 1. lib. II. ad Att.* p. 105. l. 4. *cos.* p. 108. l. 8. *prohiberer.* p. 112. l. 11. *M. VALERIVS.* p. 113. l. 11. *Dionis lib. XXXVII.* p. 120. l. 16. *lib. II. ad Att.* p. 131. l. 11. *epistolæ 22.* ibid. l. 14. *ep. 23. lib. III.* p. 136. l. 3. *Clodius.* p. 137. l. 3. ab imo. *qui ipsi.* p. 138. l. 17. *tantæ.* p. 141. l. 23. *Caninius.* p. 143. l. 21. *Lutatia.* p. 148. l. 4. *Ei inimici.* p. 149. l. 10. *Crassus vero.* p. 152. l. 3. *M. LICINIVS.* p. 154. l. 13. *Cæsar Comment. lib. V. c. 24. et alibi.* p. 164. l. penult. *lib. XV. Famil.* p. 170. l. 10. *tueretur.* ibid. l. 5. et 4. ab imo *ep. 13. lib. VII.* p. 172. l. 12. *lib. X.* p. 173. l. 4. *offendi.* p. 174. l. 2. *ἀῤῥωςίαν.* p. 188. l. 3. ab imo *cos.* p. 197. l. 1. delendum *cap. 3.* p. 198. in adnotat. post verba: *lib. XII. Famil.* adde: *Hinc Leidæ editum*, ait Philippica V. ad Att. ep. 25. lib. XII. Famil. p. 209. l. 12. *cos.* p. 223. l. 10. *de oratoribus cap. 17.* p. 228. extr. *vacuefacta.* p. 229. l. 11. ab imo *priores sunt ad C.* p. 233. l. 13. *indigent.* p. 238. l. 3. *scriptus.* p. 243. l. 5. ab imo *itinere.* p. 250. l. 7. ab imo *nobiles, ad PAPIRIVM PAETVM omnes.* p. 254. l. 13. *coeptam.*